





1. Baumgarten s. figim. Iac. J. Diff.  
de Miraculis in Regno Gratiae,  
Halle, 1753.
2. ————— Diff. de Limitibus Liber-  
tati Conscientiae ponendis, Halle  
1753.
3. ————— Diff. De Enypostaria et  
Enypostaria Humane Christi  
Naturae, Halle, 1753.
4. ————— Arthentia Doxologie  
Matth. VI. vers. 13. obvile, a  
recentissimis oppugnationibus  
vindicata, Halle, 1753.
5. ————— Diff. de Vera Operis operati-  
tudine, Halle, 1753.

26

DISPVVTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA  
DE  
**PERFECTIONE  
RENATORVM:**

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI,  
DOCTISSIMI,

**DN. ADAMI STRVENSEE,**  
S. S. THEOL. PROFESSORIS PVBLICI,  
PASTORIS AD AEDEM B. VLRICI LONGE MERITISSIMI,  
NEC NON GYMNASII HALENSIS SCHOLARCHAE  
GRAVISSIMI,

PATRONI, FAVORIS ATQVE PRAECEPTORIS  
OMNI HONORIS CVLTV PROSECVNDI,

D. IVNII CICCLIV.

H. L. Q. C.

PVBLICE TVEBITVR  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES ANDREAS HECHT,**  
STASSEVRTHENSIS MAGDEBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
PRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ПРИЧАСТИЕ  
ИМЕННОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

СТАНДАРТНОЕ

VIRIS GENEROSISSIMIS  
DOMINIS  
**CONSVLI**  
**CAMERARIO**  
CETERISQUE  
CIVITATIS STASSFVRTHENSIS  
**SENATORIBVS**  
GENEROSISSIMIS  
ATQVE RELIQVIS  
**MEMBRIS SENATVS**  
CONSVLTISSIMIS SPECTATISSIONISQUE  
PATRIBVS PATRIAE  
**MAECENATIBVS GRATIOSISSIMIS**  
PATRONIS  
OMNI OBSERVANTIA COLENDIS  
DISSERTATIONEM HANC  
DEVOTISSIMA ATQVE OBSTRICTISSIMA MENTE  
D. D. D.  
AVCTOR.

VIRI  
GENEROSSIIMI, CONSULTISSIMI,  
SPECTATISSIMI ATQUE DOCTISSIMI,



ESTRAE in me gratiae ac benevolentiae tanta hucusque edidistis specimina, quanta vix exspectanda a Patronis sunt. Magnus hic mihi dicendi campus esset, si in praedicanda VESTRA in me beneficia litteris meis euagari vellem. In compendium potius mittam omnia, ac paucis multa complector.

Fuit

Fuit VESTRA in me benignitas maxima, quam non solum in conferendo stipendio B. DE WERTENSLEBEN in me detulistis; sed quam etiam in Fridericiana, sanctioribus operam nauans studiis, expertus sum, dum per integri anni spatium Magdeburgicis me annumerastis alumnis. Ingratorum numero omnino adscribendus essem, si numquam de eo cogitasse, quomodo VOBIS, MAECENATES GRATIOSISSIMI, debitum gratae mentis testimonium sisterem. Compensare VESTRAM in me collatam benignitatem atque referre, in potestate mea non est positum. Ut autem gratissimum meum animum aliquo modo cognitum habeatis, trado VOBIS hocce scriptum publicum, qualecunque etiam sit. Accipiatis illud, MAECENATES GRATIOSISSIMI, piae mentis animique deuotissimi documentum serena fronte. Concedite, VIRI GENEROSISSIMI SPECTATISSIMI que, vt istae primitiae academicae publicum constituant meae in VOS ob-

seruantiae monumentum. Numquam ego desinam,  
ad DEVVM Optimum Maximum preces ardentissi-  
mas perfundere, vt VOS, PATRES CON-  
SCRIPTI, quam longissime saluos incolumes-  
que conseruet. Mihi vero liceat in posterum quo-  
que me profiteri

VIRI  
GENEROSISSIMI, CONSVLTISSIMI,  
SPECTATISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,  
MAECENATES GRATIOSISSIMI,

TANTORVM NOMINVM VESTRORVM

Cultorem subiectissimum atque  
obseruantissimum,  
IOANNEM ANDREAM HECHT.



## PROOEMIVM.

**A**postolus Petrus, statum ciuitatis christiana-  
nae, qui sequiturus esset post mortem  
suam, miserrimum viuis quasi depin-  
gens coloribus: erunt, inquit, falsi pro-  
phetae in populo, quemadmodum etiam in  
vobis erunt falsi doctores, qui subintro-  
ducent haereses perditionis. Quae verba a Petro neuti-  
quam frustra allata, sed potius reuera posteris tempo-  
ribus impleta esse, sacra historia testatur quam luculen-  
tissime, & euentus eorum tristissimus vnicuique, qui  
tantummodo mediocri gaudet notitia monumentorum  
ecclesiae christianaee, satis superque notus erit. Ete-  
niam quanta falsorum doctorum statim post Apostolo-  
rum aetatem surrexit turba & in ecclesiam christianam  
irrepigit? Quantam etiam operam seducendis fidelibus  
& cum Christo coniunctis hominibus impenderunt?  
Quantaque molimina in peruertenda Christi & Apo-  
stolorum doctrina impenderunt? Si ipsorum deside-  
rio

PROOEMIVM.

rio vires respondissent, penitus doctrinam veram ac caelestem e medio sustulissent, & doctrinam introduxissent falsissimam. Licet vero hoc nequissimis illis hominibus ad votum non successerit: tamen magnam haeresium excogitarunt multitudinem, multosque hisce perniciosissimis erroribus in maximam detulerunt perniciem. In aliis vero, quas dispersere, haeresibus minima non est illa dicenda, quam *de perfectione* tali, qua homo ad summum perfectionis gradum hoc in mundo peruenire possit, & ita quidem, vt ab omni peccatorum labo liberatus sit, tradiderunt. Quem pestilentissimum errorum, vt iure meritoque nuncupandus est, non solum *Manichaei*, *Iouianus* & *Pelagiani* antiquis; sed etiam *Pontificii multique alii* recentioribus temporibus defenderunt. Ut vero hunc errorum suum eo redderent probabiliorem aliisque proponerent atque insinuarent; multa sacrarum literarum dicta peruerterunt, illisque huiusmodi sensum affinxerunt, qui ipsorum fauebat sententiae. Inter alia autem loca, quibus hanc sententiam suam stabilire & confirmare voluerunt, potissimum etiam dicto I. Ioan. III, 9. abusi sunt. Hoc dictum vero neutquam huic errori fauere, iam commonstrarre in animum induxi mus; dum doctrinam illam grauissimam *de perfectione renatorum* pertractare animus est. Antequam vero ad hanc ipsam accedamus tractationem, explicationem veram ac genuinam huius allati loci praemittere placet: quoniam nobis ad ipsam tractationem viam munit. *Annuat instituto diuina gratia, ac Spiritus veritatis nos ducat in omnem veritatem!*

SECTIO



## SECTIO PRIMA EXEGETICA.

I IO. III, 9.

Πᾶς ὁ γεγενημένος ἐν τῷ Θεῷ, ἀμαρτίαν οὐ ποιεῖ, ὅτι σπέρμα  
μα κατὰ ἐν αὐτῷ μένει καὶ οὐ δύναται ἀμαρτανεῖν, ὅτι ἐκ  
τοῦ Θεοῦ γεγένηται. *Omnis, qui natus est ex Deo, pecca-*  
*tum non facit, quia semen ipsius in eo manet; immo non*  
*potest peccare, quia & quatenus ex Deo natus est.*

§. I.



A  
ntequam ipsum explicatiōnis dicti no-  
strī initium faciamus, labor nōster in  
eo versabitur, ut indicemus, quo *nexus*  
ea, quae expositū sumus, verba cum  
reliquo sermone cohaereant. Nimi-  
rum *Apóstolus Ioannes* praecedenti ca-  
pite renatorum statum & conditio-  
nem secundum diuersas aetates spiri-  
tuales, ab hominum aetatis natura-  
libus desumptas, descripsit. Id quod a versu duodecimo  
vsque ad decimum quintum effecit. Deinde in reliqua hu-  
ius capitī parte vsque ad versum secundum capitī tertii

A

multas

## 2 DISPUTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

multas renatorum praerogatiwas, quae illis, tamquam filiis Dei, p̄ae filiis mundi competunt, in medium produxit. Exinde autem versu tertio occasionem, ad studium sanctificationis adhortandi & fidelibus stimulos addendi, depromit, cuius naturam & motiuia varia adiungit, vt lectoribus de necessitate eiusdem conuictionem adferat. Quem in finem etiam de filiorum Dei filiorumque diaboli discriminem mentionem facit, luculenterque docet, tantum abesse, vt renati peccatis operam dent & peccatum in illos dominium habeat, vt potius hic renatorum sit verus character, quo ab omnibus non renatis discerni possint, quod nimurum nullum peccatum, scilicet proaereticum, faciant, neque peccatum in ipsis obtineat imperium. Hoc est, de quo dictum nostrum agit. In eo nimurum vera natura atque *indoles renatorum sancta* duobus effatis describitur, & ita quidem, vt vnicuique effato ratio simul adiungatur.

### §. II.

Ad ipsam nunc progredimur loci nostri explicacionem. Prioris effati *propositio prima*, quae primam verae indolis renatorum partem continet, ita se habet: Πᾶς ὁ γεγενημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, διμερῶς ὁ νοεῖ. In qua propositione explicanda tam subiectum quam praedicatum illius specialius consideranda veniunt. Ad subiectum igitur quod attinet, hisce expressum est verbis: πᾶς ὁ γεγενημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, vbi, antequam ipsam suscipiemus explicationem, singularum hic occurrentium vocum significationem earumque in sacris paginis usum eruere placet. Quod vt adsequamur, primum considerandum erit *signum universalitatis πᾶς*. Varias in sacris litteris haec vocula obtinet significations, ex quibus in praesenti nonnullas potissimum adducere libet. Primo πᾶς usurpat vniuersaliter & distributie

butiue pro omnibus & singulis seorsim spectatis, & ita quidem, ut omnes species, omniaque speciei individua, nullo plane excluso, hac voce notentur. Quem significatum huius vocabuli adhibitum inuenimus Matth. XI, 28: *Venite ad me, omnes, qui laboratis & onerati estis, ego resciaciam vos.* Vbi nullum discrimen gentium, personarum, aetatum ac ordinum in censem venit; sed potius inuitatio hominum, a Christo facta, plane est vniuersalis. Sic etiam occurrit 1 Tim. II, 4. Deinde πᾶς; idem denotat, quod πολὺς. Cuius significationis exemplum inuenimus Matth. III, 5: *Exiit ad cum Hierosolyma, omnis Iudea, omnis regio circumiacens Jordanem.* Vbi πᾶσα nullum alium potest obtinere significatum, quam modo dictum, ita, ut sensus sit verborum: multi ex vrbe Hierosolyma ac multi ex Iudea & circumiacente regione Jordani ad Ioannem Baptistam egressi sunt. Porro hoc vocabulum in sacris paginis occurrit de omnibus speciebus, sed quibusdam tantum individuis, vbi idem est, ac quisquis. Ita Matth. IV, 23 Christus *sanans omnem morbum & omnem languorem* dicitur. Quae verba FLACIVS in clau. rectissime ita interpretatus est: *Quemuis ex omni genere etiam grauissimorum ac plane incurabilium morborum; non vero omnia individua infirmatum aut infirmorum sanavit.* Denique etiam notaru dignissimum in sacris pandectis vocis huius vsus deprehenditur, quod nimirum, addita particula οὐ, vniuersalem negationem indicet. Matth. XXIV, 22: *Nisi abbreviarentur dies illi, non omnis, b. e. nulla caro salua fieret.*

## §. III.

Generatim vocis huius vsu paucis verbis indicato, iam significatus huius vocis, quem h. l. obtinet, determinandus est & figendus. Nimirum πᾶς hic loci vniuersaliter &

#### 4 DISPUTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

distributiuē accipitur, ita, vt sensus sit: omnes ac singuli homines ex Deo nati, nullo plane excepto, quisquis etiam sit. Qui huius adiectiū significatus *Ioanni* nostro fere, potissimum in hac epistola, proprius est. *Ioannem* etiam voce hac in genere neutro eodem significatu vti deprehendimus. In quorum dictorum explicacione canon philologorum valet: *Neutrum genus quandoque pro masculino usurpatum, si scilicet de persona sermo est.* Ut in eadem hac prima epistola *Ioannis*, c. V, 4 sequentia legimus: πᾶν τὸ γεγενηθέντος ἐν τῷ Θεῷ νυνὶ τὸν κόσμον, h. e. omnis, qui natus est **ex Deo**, vincit mundum.

#### §. IV.

Loquitur Apostolus de renatis, id quod vox ὁ γεγενηθέντος indicat. Diuersimode verbum γεγενηθέντος usurpatum in novo testamento occurrit. Sic primo de Deo adhibetur, vbi illum actum in Deo indicat, quo Deus pater filium ab aeternitate modo supernaturali genuit, & ita quidein, vt filio cum patre eadem numero sit essentia. Ebr. I, 5. Deinde vero etiam de hominibus adhibitum legimus in sacris litteris; vbi tunc idem denotat, iac nasci. Ioan. XVI, 21. Matth. II, 1. 4. Denique etiam de spirituali generatione usurpatur. Qui posterior significatus hic a nobis, partim ob antecedentia, partim ob consequentia adsumendus est. De quo vero postea plura adducentur.

#### §. V.

Praepositio ἐν interdum quidem causam materiale notat; vti Matth. I, 20: saepissime autem indicat causam efficientem, & tunc idem est, quod praepositio ἀπό. Quo significata occurrit Phil. III, 9. Io. VI, 65. Io. I, 13. cap. III, 5. Praepositio haec nonnunquam etiam idem innuit, quod post,

DE PERFECTIONE RENATORVM. 5

post, vt Jo. XIII, 4. *ἐν τῷ δείπνῳ, ex coena*, i.e. post coenam.  
Nostro loco causam efficientem notat.

§. VI.

Sunt autem regeniti *ἐκ τοῦ Θεοῦ*. Ad derivationem huius nominis Θεός si spectemus, eruditos in derivatione admodum dissentire, deprehendimus. Alii enim ex lingua hebraica originem trahere aurumant, & quidem ex voce *sufficientia*, quia Deus Abrahamo dixit: Ego sum Deus omnipotens seu mihi sufficiens. Alii vero ex græca oratione repetunt derivationem. Hic vero iterum magnus dissensus locum habet. Etenim nonnulli vocem hanc a Θεῷ, *videre*, descendere persuasum sibi habent. Secundum quam derivationem Deus ille esset, qui perfectissimam omnium rerum, quae fieri possunt, possider cognitionem. Quidam a verbo *πέμψιν*, *pono*, proficiisci credunt. Tunc Deus esset, qui omnes res ponit, qui per se subsistit, & ita quidem, ut omnia alia eo nitantur. Alii iterum a voce *αἰθέρη*, *vra*, deducunt; quia Deus est ignis consumens, & tamquam lux, ad quam nobis accessus prohibetur, in sacro codice describitur. Et iterum ali nomen hoc a voce *Θέα*, *currere*, derivandum esse, sibi persuadent. Quia derivatione omnipraesentia Dei, vi cuius omnia penetrat, seu infinita eius potentia, secundum quam omnia operari atque effere potest, indicaretur. Adhuc alii a *δέος*, *timor*, deducunt, quoniam Deum omnes homines tam pii, quam impii, licet modo admodum diuerso, timent. Et denique consueta adhuc huius vocis deductio est a verbo *δεῖ*, oportet. Quia derivatione necessaria Dei existentia denotaretur. Immo sunt nonnulli, qui vocem Θεός derivationem esse negant, illam itaque ad primitivas referunt.

A 3

§. VII.

## 6 DISPVATATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

### §. VII.

Ad usum huius vocis quod attinet, quem in sacris litteris obtinet, trifario modo potissimum in illis adhiberi deprehendimus. Primo tribuitur hoc nomen summo aero Deo, & essentialiter Io. IV, 24, & personaliter, Patri, Io. III, 16, Filio, Io. I, 1, ac Spiritui sancto. Act. V, 4. Deinde nomine hocce iudices & magistratus insigniuntur; quia vicem Dei in hac terra gerunt. Io. X, 34. 35. Denique etiam de aliis adhibetur vel personis, vel rebus, quibus homines seruiunt, aut cultum religiosum praestant, aut quae pro summo bono habent. Sic satanae, idolis & ventri hominum luxuriosorum denominatis haec impertitur 2 Cor. IV, 4. Phil. III, 19.

### §. VIII.

Singulis hucusque subiecti vocibus consideratis, iam opera nostra in eo, ut totum terminatum complexum adspiciamus & explicemus, erit collocanda. Terminus complexus vero ita se habet: πᾶς ὁ γεγενημένος ἐν τῷ Θεῷ. Cuius verus sensus igitur sequens est: omnes ac singuli, qui per vim Dei omnipotentem ex morte spirituali in vitam spiritualem translati sunt, in hocque felici adhuc versantur statu.

Sacras litteras studiose perscrutantibus notissimum erit, variis in illis occurrere locutiones synonymous, cumdem aetum regenerantis gratiae describentes, quarum iam praecipuas in medium proferre placer. Primo, locutio nostra alias exprimitur per verbum ἀναγέννησιν, 1 Petr. I, 3, quod via derivationis nihil aliud quam iteratam generationem significat, & respectum eo ipso inuoluit ad generationem naturalem. Deinde nostra phrasis a Spiritu sancto alioquin exponitur per γεννήσιν ἀνάθετον, Io. III, 7: vbi ἀνάθετο dupli modo accipere possumus. Nimirum vel ita ab interpretibus explicatur,

DE PERFECTIONE RENATORVM. 7

tur, vt sufficientem huius mutationis originem indicet. Iac. 1, 17, & tunc veritur, *e supernis*. Vel etiam per *denuo, iterum* explicatur. Porro per vocem *ἀποκενί* explicatur, Iac. 1, 18. Quod verbum proprie quidem de grauida foemina, quae foenum in utero gestat, usurparunt; deinde vero ad Deum quoque ob analogiam inter naturalem & spiritualem generationem transfertur. Porro hoc pertinet locutio *ἐν τῷ Θεῷ* ἐστι; quae loquendi formula ab ipso adhibetur Seruatore Ioan. VIII, 4. 1 Io. III, 10, & alias quidem aliquid latius se extendit, dum non solum ad regenerationem respicit; sed etiam ad doctrinam, quam a Deo ipso habemus.

§. IX.

Quum generatim explicuerimus, quid sibi velit locutio: *natus ex Deo*; iam aliquid *specialius*, quid ad natum ex Deo requiratur, inquiremus. Natus ex Deo est, cui a Deo, tamquam causa efficiente, vita spiritualis collata est. Si itaque inquiritur, quid ad hancce collationem viriae spiritualis pertineat, facile patet, ad eam pertinere, *primo*, sublationem dominii peccatorum. Quum enim homo ante conuersionem ita comparatus sit, vt non possit non peccato in voluptatibus suis obedire, peccatumque omnes ipsius actiones determinet: in regeneratione Deus remouet hoc malum maximum, excitando in nobis cognitionem viuam omnium per peccatum nobis contractorum malorum, atque auerisionem maximam erga omne id, quod legi & voluntati diuinae contrarium est. Deinde ad hunc gratiae diuinae actum referenda est excitatio & productio fidei salutifica in animis hominum, de pessima peccatorum conditio ne conuictorum. Quum igitur ad fidem salutificam cognitione, ad sensus & fiducia pertineat, haec tria momenta in regeneratione a Deo in hominibus producuntur. Illuminat eorum

## S DISPUTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

corum animos, ita, ut viua eaque salutari de Deo rebusque diuinis praediti sint cognitione, omniaque, quae cognoscunt, ex intimo adprobent pectore. Dirigit ita mentes ipsorum, ut omnem suam salutem a Christo mediatore exspectent, certissimique sint, Christum omnia ipsis donaturum esse, quae redemtione sua cruenta adquisiuit, illisque per verbum suum promisit. Hanc ob causam apprehendunt Christum atque illi adhaerent. Effectus, inde resultans, est adoptio. Antea, quum homo peccati labore adhuc se se contaminaret, filius irae & condemnationis erat: nunc vero, vbi peccatorum seruitium fecerit missum & ad fidem in Christum peruerterit, euadit Dei filius. Simulac enim homini vera & saluistica fides inest; adoptio etiam locum habet. Io. I, 12-14. At enim vero homo, in filium Dei acceptatus, Deo etiam certo modo similis sit necesse est, quae similitudo intellectum illuminatum & voluntatem sanctam ex parte hominis requirit, habitumque legitimarum actionum, quibus homines ante regenerationem plane destituti sunt. In regeneratione autem per fidem accipiunt vires ad sanctam vitam gerendam sufficientes. Quod vero ad ipsum modum huius vitae spiritualis collationis attinet, illum quidem plenarie perspicere haud possumus; attamen quaedam de ipso proferre nobis datum est. Nam 1) negatiue non in eo consiliter, ut emanatio ex Dei essentia in animam nostram fiat, seu ut Deus tamquam causa materialis nostrae adspiciatur regenerationis; quippe quod apertam inuolueret contradictionem. 2) Positiue quaedam similia inuenimus in regeneratione cum naturali generatione, quae si euoluimus, magnam sane nobis affundunt lucem hac in re. Docemur autem praesertim instituta hac comparatione, (1) nos in regeneratione mere passiue nos habere, atque nihil ad ipsum actum

actum regenerationis tamquam agentes conferre posse; (2) regenerationem non in instanti perfici, hinc nec esse actum momentaneum; (3) nos in regeneratione nouas accipere vires ad ita agendum, prout nobis antea impossibile fuit; (4) regenerationem in nobis non sine dolore perfici & consummari posse, immo & regenerationem hanc spiritualem mysterii plenissimam esse, atque a nobis plenarie percipi neutruam posse.

## §. X.

Subiecto propositionis rite explicato, ad alteram deueniemus partem propositionis, videlicet *praedicatum*, quod ira audit: *ἀμαρτίας οὐ ποιεῖ*. In quo explicando iterum ante expositionem ipsam singulas considerabimus voces. Ad primam vocem, scilicet *ἀμαρτίας*, si spectemus, illius usus in novo testamento varius est. Proprie denotat aberrationem a via seu scopo. Deinde vero per metaphoram significat peccatum, quia, ubi est peccatum, ibi datur aberratio a via praceptorum diuinorum & a scopo legi praefixo, vti *STOCKIVS in Clau. ling. sanct. N. Test.* se exprimit. Peccatum vero, ut notissimum est, in duas principes classes diuiditur, nempe in originale & actualē. De utroque genere vox ista usurpatur. De originali vide Rom. V, 12. c. VI, 12. De actuali Io. VIII, 34. Per metonymiam autem poenam seu victimam peccatorum denotat, 2 Cor. V, 21. Nostro loco *ἀμαρτία* peccatum proaereticum seu mortale significat, vti postea pluribus probabitur.

## §. XI.

Particula οὐ generatim significat *non*, ubi plane negat. Quae significatio in sacro codice est frequentissima. Deinde vero etiam adhuc alios facit usus. Sic usurpatur elliptice pro οὐ ποιεῖ, non solum Ephes. VI, 12. Act. V, 4. Inter-

B

dum

## IO DISPVAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

dum etiam haec particula non tam negat, quam corrigit, ut FLACIVS loquitur. Marc. IX, 37: Qui me recipit, non me recipit, h.e. non tam me recipit. Porro nonnumquam interrogatio inseruit, & tunc idem est, quod εντολη. Matth. VII, 22. cap. XVII, 24. In nostro dicto est particula negationis.

### §. XII.

Præter reliquos verbo ποιεῖν competentes significatus unum tantummodo, sed notatu dignissimum, in medium proferre volumus. Nimirum locis quibusdam haec vox idem innuit, quod alia vox graeca, διατρέπειν, commorari in loco aliquo. Act. XV, 33. c. XVIII, 23. c. XX, 3. 2 Cor. XI, 25. Iac. IV, 13. Nostro loco haec vox huiusmodi actum significat, qui magna alacritate, promptitudine, assiduitate & studio coniunctus est.

### §. XIII.

Explicatis hucusque singulis praedicati vocibus, iam in eo erit elaborandum, ut terminum complexum expendamus. Generatim horum verborum, ποιεῖν οὐ ποιεῖ, sensus hic est: Omnis, quisquis etiam sit, quatenus ex Deo natus est, non perpetrat atque committit peccatum cum aberrationis a lege conscientia & deliberatione coniunctum. Quum itaque peccata, cum deliberatione produeta, sint voluntaria, sensus horum verborum & ita exprimi potest: homo ex Deo natus non committit peccata voluntaria.

### §. XIV.

Quum pauula quaedam generatim de termino complexo attulerimus: iam aliiquid specialius illum pertractare animus est. Praedicatum hocce conferentibus cum dicto Ioanneo cap. I, 8 huius epistolae, in quo Apostolus adserit,

## DE PERFECTIONE RENATORVM.

## II

rit, si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nosmetipsoſ fallimus, & veritas non eſt in nobis, contradic̄io inter haec ce duo dicta adesse primo intuitu videri poſſet. Loquitur enim utroque in loco de regenit̄is, de quibus in altero adſerit, quod peccata habeant, in altero autem, quod peccata non faciant. Verum enim vero permagnum ſane diſcri- men inter *εχειν απαγτλαν*, peccatum habere, & inter *ποιειν α- μαρτλαν*, peccatum facere, intercedit. Etenim prior plura- fisis tantummodo indicat & declarat, renatos & cum DEO coniunctos homines, quam diu in mundo vitam agunt, non dum a peccato plenarie immunes eſſe; ſed adhuc peccatis, tam originali, quam actuali, licet non proaeretico, eſſe ob- noxiros. Posterior vero locutio, peccatum facere, tantummodo de peccatis proaereticis, ſeu de peccatis, cum diſfor- mitatis a lege conſciencia & deliberatione perpetratis, intel- ligenda eſt. Renatos vero peccati labē adhuc eſſe polluros, quamdiu in hoc mundo viuunt, id praeter locum, quem an- tea iam allegauimus, tam permulta alia quoque loca conte- ſtantur, 1 Reg. VIII, 46. 2 Paralip. VI, 36. Cohel. VII, 21, quam ſequentibus adhuc rationibus veritas huius adſerti probari potheſt. 1) Ex luſta carnis & ſpiritus. Luſta enim illa carnis & ſpiritus, quae apud renatos, vti Paulus Gal. V, 16. docet, adhuc deprehenditur, quam luculentiffime indi- cat, renatis adhuc inceſſe peccatum. 2) Ex ſanctorum que- relis de peccatis adhuc adhaerentibus. Ps. XIX, 15 David tamquam renatus, delicta, inquit, quis intelligit? ab occul- tis meis munda me. Confer. Psal. CXXX, 3. Ps. CXLIII, 2. Prou. XXIV, 9. Ief. LXIV, 6. 3) Ex grauifimo Seruatoris noſtri effato, quo veniam peccatorum quotidianiſ ſupplica- tionibus expeti a diſcipulis iubet. Matth. VI, 12. Luc. XI, 4. 4) Ex propagatione peccati originaliſ. Quodſi enim pec-

12 DISPVATAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

catum a renatis plane exularet, quomodo tunc per carnalem generationem in liberos renatorum propagari posset? quod tamen teste scriptura sacra accidit. Gen.V,3. Ps.LI,7. Ephes.II,3. 5) Ex actualibus renatorum peccatis. Si enim renati non amplius haberent peccata, nec peccata actualia in ipsis deprehendi possent. Quod autem non minus sacris paginis repugnat, Iac.III,2, quam experientiae refragatur. Ecquis enim renatorum insurgere & dicere poterit, se post acceptam gratiam numquam rursus peccata perpetrasse? 6) Ex consequentibus peccati. Si enim peccatum ex renatis penitus esset eradicatum: non amplius calamitatibus huius vitae, morbis & morti essent expositi, quod contra omnem pugnat experientiam. Vbi enim causa abesset, quomodo tunc effectus adhuc locum habere posset? Iam vero renati adhuc calamitatibus, morbis & morti sunt obnoxii: hinc ruto concludere possumus, & renatis adhuc peccata adhaerere.

§. XV.

Scopo nostro iam aliquid propius veniamus: & quum in superioribus indicauerimus, formulam loquendi, *διαγετον ποιειν*, de peccatis mortalibus, seu proaereticis a nobis explicari: nobis iam incumbit, ut ostendamus, phrasin istam ita necessario hoc loco esse intelligendam. Probare vero id possumus: 1) Ex scopo Apostoli. Commonstrare enim vult, quale discrimen renatos atque non renatos intercedat, quod in eo ponit, ut non renati peccata faciant, ex Deo nati autem non committant, vers. 8. 10. Hinc quod illi peccent voluntarie, hi autem minus. 2) Ex oppositione phrasium, iustitiam facere & peccatum facere. Iustitiam facere significat, sanctis operibus studere. Ergo peccatum facere innuit, praevia scientia atque voluntatis deliberatione pecca-

peccata admittere. 3) Ex subiunctis peccatorum speciebus quibusdam vers. 12. 15. 17, quae tantum voluntaria nobis exhibent peccata. 4) Ex cap. V, 18; vbi Apostolus, quum de peccato ad mortem egisset, eandem hanc repetit sententiam: omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, & vers. 19 haec adiungit: Scimus, quod ex Deo sumus, & totus mundus in maligno positus est. Ex quibus colligi potest, quo sensu sit accipiendum, natum ex Deo non peccare, nempe quod se mundo non conformet, qui totus positus est in maligno: ideoque quod peccatis non indulget; sed omni studio a peccatis abhorreat & carnis concupiscentiis viriliter resistat. Eiusdem igitur deditus, hanc locutionem, peccatum facere, hoc loco tantummodo de peccatis proaereticis esse intelligendam. Combinemus itaque subiectum & praedictum huius primae prioris effati propositionis, & verus sensus sequens erit: Omnis natus ex Deo, seu ex morte spirituali in vitam spiritualem translatus, quatenus & quamdiu in hoc statu perseverat, voluntaria, sive ex proposito, studio, destinata opera & contra conscientiam peracta peccata non petrat.

## §. XVI.

Quum in explicatione huius propositionis adsumamus, subiectum illius reduplicatiue sumendum esse, quod quibusdam frustra & precario factum esse videri posset, paucis tantummodo rationes hac de re adducemus, ut ne species dubitationis quidem remaneat. Quae rationes potissimum sequentes sunt. 1) Versus sextus huius capituli sententiam nostram confirmat & corroborat; dicit enim Apostolus: *omnis, qui in Deo manet, non peccat, & peccans nec videt nec cognoscit illum.* Quae verba luculenter ostendunt eos tantum, qui in Deo manent, hinc qui cum Deo coniunguntur.

14 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

Si sunt, non peccare; mutata autem ista relatione erga Deum, etiam aliter de ipsis hominibus dicendum esse. 2) Deinde veritatem huius rei etiam ex consequentibus comprobare possumus. Vers. 15. dicit Ioannes: *Omnis, qui odit fratrem, homicida est, & scitis, quod homicida non habeat vitam aeternam in se manentem.* Renati autem homicidac fieri possunt, quod exemplum Daudis testatur. Ergo tunc non amplius vitam aeternam habent in se manentem. Tunc vero in eiusmodi homine non amplius manet Deus praesentia sua gratiosa. Et per consequens etiam talis homo non amplius est renatus. Est igitur certum atque exploratum, regenitos, qua tales, peccara non admittere contra conscientiam.

Fuerunt, vti e. g. AMEROSIVS, qui acceperunt hanc propositionem, vt & totum locum, de statu futurae gloriae, ita, vt sensus sit, eos peccatum non facere, qui nati sunt ex Deo, scilicet per regenerationem illam, cuius Matth. XIX, 28 mentio inicitur. Verum haec interpretatione a scopo aliena est. Apostolus enim de statu renatorum in hac vita agit, quem ceterum aliquid & genuinum in medium producat criterium, quo renati a non renatis discernantur. v. 10. Versu secundo quidem status illius, quem renati ac filii Dei in futura vita habebunt, mentio facta est. Eoque procul dubio AMEROSIVS respexit, quem nostrum locum de statu renatorum in vita aeterna expofuit. Quoniam vero vers. 3. adiungitur, *omnis, qui habet hanc spem in Deum, sanctificat se ipsum,* sicut *& ille sanctus est,* ac v. 6, *omnis, qui manet in eo, non peccat;* inde appetet, Ioanni non solum de statu filiorum Dei v. 2. in futura; sed etiam in hac vita versib. seqq. sermonem esse, & de illis, qui tantummodo adhuc spem futurae gloriae habent, diserte pronunciare, quod non faciant peccatum.

§. XVII.

Sequitur iam prioris effati Ioannei *propositio secunda,*  
quae

quae aetiologicala est, seu quae rationem prioris continet: ὅτι οὐέργα αὐτοῦ εὐ αὐτῷ μένει. Priusquam ad subiectum huius propositionis explanandum progrediamur, consideranda est particula ὅτι. In varias haec particula rapitur significaciones, quarum quasdam in medium proferre volamus. Accipitur 1) obiective. Io. XI, 51. c. XVII, 23; 2) expletive. Luc. XXIV, 46; 3) ratiocinative. Syllogistica autem est particula, quando non rei caussam, sed concludendi rationem denotat. Ioan. VIII, 44. Luc. VII, 47; 4) reduplicative. Io. V, 27. 5) Quam maxime & praecipue etiam est particula caussalis. Io. III, 18. Si usum huius particulae nostro in loco spectemus, reperiuntur potissimum duae explicaciones. Alii enim hanc particulam in aetiologicalo sensu sumunt, alii vero in sensu composito. Sed hanc utramque sententiam hic locum habere persuasum nobis est. Secundum priorem sententiam ὅτι rationem propositionis praecedentis suppeditat, & secundum posteriorem sensus est: Renati non faciunt peccatum, quatenus in illis semen eius scil. Dei manet.

## §. XVIII.

Ad subiectum ipsum iam progrediamur, quod est οὐέργα αὐτοῦ. Vocis huius οὐέργα usus in sacris litteris varius quidem est ac multiplex; in praesenti vero unum tantummodo, sed notatu dignissimum & ad scopum nostrum praecipue conducentem, usum adferre placet. Nimirum οὐέργα in N. Test. saepe significat verbum Dei. Quia in significacione non solum Christus, Seruator noster, hac voce in parabolis; sed etiam sacri scriptores N. Testam. alibi usi sunt. Matth. XIII, 23. Marc. V, 20. 1 Petr. I, 23. Nostrum vero est, similitudinem, quae verbo Dei cum semine est, indicare, quae potissimum in sequentibus consistit. 1) Sicuti semen na-

turale

16 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

turale rationem inde crescentis fructus in se continet: ita etiam verbum diuinum principium est torius spiritualis fructus & emendationis hominum. 2) Sicut semini calore solis & pluia, seu rore opus est: sic semini verbi diuini incrementum dat ipse Deus, 1 Cor. III, 6. 7. 3) Sicuti semen non aliter effectum suum exhibet, quam si adPLICatur & ager praeparatur: ita & verbum Dei non aliter exoptatum fructum praebet, quam si nos ad id praeparemus, & vi illius rite utramur. Ex quibus igitur patet, inter semen naturale & verbum diuinum maximam esse similitudinem.

§. 2 XIX.

Quomodo in nostro dicto haec vox *σπέρμα* sit sumenda, iam iam videbimus. Sententiae eruditorum autem hic variant. Praesertim quatuor reperiuntur expositiones. Alii enim Spiritum sanctum per semen h. l. intelligi persuasum sibi habent. Et hanc explicationem suam se corroborant ex loco quodam, ad quem prouocant; scil. Io. III, 5, vbi Christus dicit, hominem ex spiritu nasci oportere. Alii vocabulum *σπέρμα* ita sumunt, ut per illud Iesus, Servator noster, intelligatur. Vbi locum Io. XII, 24 adferunt, quo Christus semetipsum cum grano tritici comparat, quod in terram cadit & moritur, multosque fert fructus. Alii iterum inueniuntur, qui per *σπέρμα* fidem in Christum; ardentissimum amorem in Deum, & timorem filialem Dei intelligunt. Denique adhuc alii dantur, qui *σπέρμα* idem esse, ac verbum Dei existimant. Quoniam Christus illud verbum saepe semen suum nuncupat. Luc. VIII. Matth. XIII. 1 Petr. I, 23. Omnes istae sententiae a veritate quidem non sunt alienae & contra fidei analogiam neutriquam pugnant; interim tamen contendit a nobis & confirmari potest, Ioannem potissimum hac voce ad *verbum Dei* respexisse. Nihil enim

enim in novo instrumento est insoliti, verbum Dei sub symbo seminis describi & depingi. Deinde verbum Dei tamquam ordinarium regenerationis medium in sacris paginae proponitur. 1 Cor. IV, 15. 1 Petr. I, 23. Denique etiam verbum Dei ut quid immanens delineatur. Io. XV, 7. 1 Io. II, 14. Luc. VIII, 15. Iac. I, 21.

## §. XX.

Addit Apostolus nomini *ωνεύματος* vocabulum *ωντοῦ*. Hoc pronomen relativum *ωντὸς* in N. T. varios facit usus, de quibus GLASSIVS in *Philol. sacr.* egit, & quos in praesenti adferre superuacaneum duximus. Hoc in dicto nostro si legimus *ωνέγα ωντός*, subintelligendum est nomen Θεοῦ, *semen ipsius Dei*, h. e. verbum ipsius Dei. Quod potissimum tres has ob causas ita vocatur. Est enim verbum Dei 1) ratione originis, a Deo enim originem suam trahit; 2) ratione argumenti, manifestat enim nobis & adnunciat unicum verum & viuum Deum eiusque voluntatem; 3) ratione finis, per hoc enim verbum ad Deum ducimur.

## §. XXI.

Semen Dei est ἐν *ωντῷ*. Ad praepositionem ἐν quod attinet: 1) notat complementum rei. Luc. XI, 37: ἐν τῷ λα-  
λῆσαι, in loquendo, i.e. postquam locutus esset; 2) idem est, quod Latinis *per*, Matth. V, 34: iurare in caelo, i.e. per caelum; 3) loco praepositionis *eis* etiam interdum adhibetur. Marc. I, 15: Credite ἐν τῷ ἐναγγελῷ, i. e. in euangelium; 4) idem est, quod Latinis praepositio *a*, Luc. IV, 1: Iesus actus ἐν τῷ πνεύματι, i.e. Matthaeo interprete, cap. IV, 1, ὑπὸ τῷ πνεύματος, a Spiritu sancto. 5) Eundem habet significatum, quem de Rom. XI, 2: An nescitis ἐν Ἡλίᾳ, i.e. de Elia. In nostro dicto ἐν indicat rei inexistentiam: Semen Dei in nobis manet. Autem se refert ad γενεννήσαντας θεούς.

C

§. XXII.

## 18 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

## §. XXII.

*Verbum Dei p̄ēvet.* Hoc verbum in N. Test. quandoquidem innuit, *habitare*, seu morari aliquamdiu in loco quodam. Io. I, 39. Io. VIII, 35. Deinde etiam interdum valet, quod Latinis est *vivere*. Ioan. XXI, 22. Si usum huius vocis nostro in loco spētemus; nonnulli quidem sunt, qui verbum *p̄ēvet* hic nihil aliud denotare, quam *ēivay*, sibi persuasum habent. Rationes sequentes adducunt: Apostolum non loqui in futuro, alias legeremus *p̄ēvet*; sed tantum in praesenti se exprimere, neque Apostolum huic praesenti particulas illas addere, *āet*, aut *ādāxwet̄sws*, ex quarum additione significationem ordinariam stabilire possemus, nec denique opus esse, ut Dei semen in eo maneat in futurum, qui in praesenti peccata voluntaria non committit; sed sufficere, si illo tantum momento ei insit. At enim vero in *hermeneutica* canon iste traditur: *Fam̄sa vōc̄s cuiuslibet significatio tamdiu est retinenda, donec vel contextu, vel analogia fidei vel altis causis ab ea recedere cogimur.* Iam vero in dicto nostro nihil reperitur, quod nos cogat, consuetum huius verbi significatum relinquere. Quamuis enim Apostolus in praesenti loquatur; attamen nullam plane rationem video, quare ob id ordinaria vocis significatio mutanda sit. Neque ex omissione particularum illarum aliquid contra nos sequitur, quum potius secundum nostram sententiam superfluae fuissent. Nec denique suppositum illud, quod mansio verbi diuini non requiratur necessario ad non facienda peccata, quidquam contra nos efficere potest, quum haec propositio nobis nexus inter subiectum & praedicatum primae propositionis declareret; ob id ipsum nempe ex Deo natura, qua talem, peccatum facere non posse, quoniam verbum Dei semper in ipso est & erit, quamdiu regenitus manet.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Quid tota ista propositio, οὐέκυ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, sibi velit, iam iam inquirendum erit. Nimurum propositio ista, sēmen Dei, h.e. verbum Dei manet in eo, sequentia complectitur: Natus ex Deo in eo non acquiescit, quando verbum Dei, quod est sēmen illud incorruptibile, ex quo renatus est, 1 Petr. 1, 23, auribus audierit externis, illud legerit, de eoque meditatus sit; sed etiam fide cordis illud recipit ac fructu operis fidem illam demonstrat. His enim regenitus ab irregenito se distinguit, qui quidem verbum Dei quoque legere, audire atque de eo meditari potest; sed neque fidem habet saluificam, neque verbo Dei agit vitam conuenientem. Christus, Seruator noster, ipse hanc nobis explicat locutionem, Matth. XIII, 23. Marc. IV, 20. Luc. VIII, 15: Semen, quod in terram bonam sparsum est, hi sunt, qui audiētes verbum intelligunt, suscipiunt ac retinent. Ante omnia verbum Dei audiendum est, sed ita, ut verbi auditu perspicuam accipiamus cognitionem, ideoque voluntatem diuinam distincte intelligamus. Hic vero nondum acquiescendum est; sed verbum Dei etiam suscipiendum ac retinendum, & fructus fidei sunt faciendi. Huc etiam pertinet, quod verbum Dei in natu ex Deo efficaciam suam exserat, ita, ut in Domino fortis sint, omniaque peccata virent ac defestentur. Quam ob caussam quoque Ioannes adsfirmat, ex Deo natos peccata non facere, quoniam nimurum verbum Dei in ipsis manet, eosque mouet, ut voluntati diuinae conuenienter agant.

## §. XXIV.

Explicatio hactenus priore huius dicti effato, sequitur posterius, quod etiam veram renatorum indolem indicat, ad dita simul eiusdem ratione. Cuius effati propositio prima

20 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

ita se habet: Καὶ οὐ δύναται ἀμερτίνειν. Hic nobis primo se offert explicanda coniunctio οὐ, quae quidem plurimum est copulativa; interim tamen diuersimode praeterea adhuc sumitur. Est enim 1) particula aduersativa, Matth. XXI, 30; 2) comparativa, Ioan. V, 17, nec non 3) particula temporis, Marc. XI, 22. Matth. IX, 7, & 4) ratiocinativa, Gal. IV, 7, denique 5) intensiva, latente quandam vim afferens & vehementer exprimens affectum, Marc III, 8. c. XVI 7. 1Cor. IX, 5. Et hic ultimus adductus significatus huius vocis etiam in nostro dicto accipiendo est. Hinc particulam istam vertere possumus per immo, quin immo.

§. XXV.

Ipsius propositionis verba iam expendenda veniunt, οὐ δύναται ἀμερτίνειν. Quilibet vero facile, subiectum omisum & ex praecedentibus supplendum esse, perspiciet. Nimirum subiectum est δέ γεγονόμενος ἐκ τοῦ Θεοῦ. Ideoque tota propositio est: Natus ex Deo non potest peccare. Ad subiectum quod attinet, in explicando illo non commorabimur, quoniam in superioribus illud iam interpretari sumus. Atque ideo statim ad praedicatum progrediemur.

§. XXVI.

Ad praedicatum primo pertinent verba οὐ δύναται. Particula οὐ eodem modo, vt ante, nimirum negatiue est sumenda. Verbum δύναται proprie indicat, potestatem habere. Deinde etiam pro verbo debiti ac iuris accipitur, ita, vt posse, idem ac licere; non posse, idem ac non licere, non debere, significet: vt GLASSIUS in Grammat. sacr. Traſt. III. p. m. 259. euincit. Ad confirmandam hanc expositionem, prouoco ad dictum Pauli 1 Cor. III, ii: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Iesu Christus, h.e. nemo ponere potest, seu nemo debet. Act.*

IV, 20.

IV, 20. 1 Cor. X, 21. Nostro loco ordinarius & consuetus significatus retinendus est. Quemadmodum ergo διαδοχη inuoluit possibilitatem: sic e contrario addita particula εν impossibilitatem innuit.

## §. XXVII.

Impossibile autem regenito est απαρτάνειν. De hoc verbo nullos iam adducere usus in animum induximus, quoniam eosdem etiam, quos de nomine απαρτία supra attulimus, facit. Conf. STOCKIVS in Clau. Huic verbo eadem h. l. competit emphasis, quam supra de phrasι απαρτίαν ποιεῖ annotauimus. Nimurum de peccatis proaereticis illud est intelligendum.

## §. XXVIII.

Singulis vocibus explanatis, nunc videndum est, quoniam termini complexi, εν διαδοχη απαρτάνειν, sit sensus. Hic ad duo imprimis momenta animus est dirigendus. Primo loco genuina ac vera horum verborum explicatio in medium est proferenda: deinde vero etiam indicandum erit, quae non sit mens horum verborum. Primum si spestemus, sensus verus hic est: Fieri non potest, ut natus ex Deo, quatenus talis est & quamdiu ille manet, in peccata prolabatur mortalia. Secundum hanc verborum istorum explicationem impossibilitatem peccandi ratione renatorum contendimus. Impossibilitas vero in absolutam & hypotheticam diuiditur. Ad primam quod attinet, illa hic in censum venire non potest; quoniam solūmodo tribuenda est Deo. Interim tamen impossibilitas peccandi hypothetica natus ex Deo est concedenda. Quia enim per regenerationem homo nouam, seu diuinam accipit mentem; a Deo vero, tamquam ente perfectissimo, omnes sunt remouendae imperfectiones, per consequens etiam omnia peccata; homo

## 22 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

post regenerationem amplius peccare nequit; siquidem nouam illam retinet naturam. Alias enim si peccaret, tunc non adesset in ipso praestans & diuina illa natura, in regeneratione accepta.

### §. XXIX.

Sensus itaque horum verborum neutiquam esse potest, ac si regeniti in eiusmodi statu essent, vbi absolute in peccata incidere nequirent proaeretica. Hanc vero rem ita se habere, ut a renatis neutiquam absoluta peccandi impossibilitas pronunciari possit, sequentes tres, ut brevibus nos expediamus, probant rationes. 1) Perspicua scripturae sacrae testimonia adfunt, quae id efficiunt. Ezech. XVIII, 24. Math. XIII, 20. Luc. XVIII, 24. Io. XV, 2. 2) Ex cohortationibus Apostolicis etiam hoc appetat. Rom. VIII, 30. cap. XI, 22. 1 Cor. X, 12. 3) Exempla sunt in promptu eorum, qui in peccata prolapsi sunt mortalia, licet vere renati fuerint. Quo referenda sunt exempla Saulis, Davidis, Salomonis, Iudei, Petri. Ideoque Ioannes neutiquam eorum sententiae, qui absolutam impeccabilitatem de renatis contendunt, fauet.

### §. XXX.

Altera huius effati *propositio* adhuc residua est, quae ex parte cum prima prioris effati eadem est: Ὄτι ἐν τῷ Θεῷ γέγεννηται. Interim tamen haec propositio non superflue adiuncta, sed potius vltioris probationis loco est addita. Namnrum Ioannes his verbis vult indicare, quod, quium natus ex Deo spiritualis vitae particeps sit redditus, etiam ope illius duntaxat nouos ac spirituales motus, quibus peccati amor & peccandi studium excluditur, producat. Porro, quoniam homo per regenerationem filius Dei efficitur: Io. I, 12: illi vero, qui in filium Dei sit acceptatus, inhabitatio Spiritus sancti quoque competit, Gal. IV, 6, fructus Spiritus sancti

sancti apud eum appareant necesse est. Quid? quod regeneratione complectitur veram fidem in Christum. Gal. III, 26. Ephes. III, 17. Vbi vero Christus per gratiam suam in corde hominis habitat; ibi non amplius adest peccandi studium; quin immo tantum abest; ut peccatis operam deret, ut potius peccata patrare non possit, scilicet mortalia. Haec ultima propositio igitur tamquam inutilis & superuacanea repetitio neutram est consideranda, sed magna emphasis in ea sita est; quum Ioannis mens eo redeat: Simulac renatum nobis propominus, statim etiam in cogitationem illam incidere debemus, apud eum omne peccati dominium & studium esse ademnum & abolitum. Filialis enim animus erga Deum non concedit, ut credens Deum patrem suum caelestem patrandis peccatis contristetur.

## SECTIO SECUNDA DOGMATICA.

## §. XXXI.

**A**dducta hucusque vera ac genuina dicti Io. III, 9 explanatione, ad ipsam doctrinam de perfectione renatorum accessum faciamus. Cuius licet non disertis verbis hoc in dicto mentio fiat: attamen per bonam consequentiam ex illo deduci ea potest.

## §. XXXII.

Antequam vero ipsius expositionis initium facere possumus: notio renati reperenda atque stabilienda erit. Renatus nimirum est, cui vita spiritualis a Deo est collata. Ante regenerationem homo spiritualiter mortuus est: simulac autem vera mentis mutatio peragitur, homo a morte spirituali excitatur & transit ad vitam spiritualem. Qui transitus ad vitam spiritualem regenerationem ipsam efficit. Haec vox, renatus, vero vel generatim vel speciatim accipitur.

Gene-

24 DISPVATAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

Generatim etiam ille hoc nomine adhuc venit, qui quidem aliquando in statu gratiae versatus & cum Deo coniunctus fuit; in praesenti vero gratia Dei destitutus est ob peccata proaeretica commissa. Speciatim ille nuncupatur renatus, qui adhuc cum Deo coniunctus est. Hic etiam probe adhuc obseruandum est, nos vocem hanc de adultis tantummodo sumere, quibus tempus & occasio est, bonum operandi. Ideoque de infantibus, post baptismum statim vitam cum morte commutantibus; vel ab incunabulis animam efflantibus, licet etiam vere renati sint nominandi, nobis iam non est sermo.

Ex hisce quilibet perspicere potest, nos vocem *renati* hoc loco ita sumere, ut & iustificationem & renovationem ea simul complectatur. Quosensu Formula Concordiae hanc vocem etiam usurpat *Articolo III. de iustitia fid.* vbi haecce legimus verba: *Vocabulum regenerationis interdum eo sensu accipitur, ut simul & remissionem peccatorum, quae duntaxat proper Christum contingit, & subsequentem renovationem complectatur.*

§. XXXIII.

In explicanda hac doctrina de perfectione renatorum si operam nostram ponere velimus: *generatim* antea de verbis *perfectionis* & *perfecti* agendum erit. Et hic statim nobis sece offert illa quaestio: *An renati possint dici perfecti?* De hac quaestione multum disceptationis superioribus temporibus fuisse, ex historia sacra satis luculenter patet. Alii, renatis perfectionem tribuendam esse, penitus ac plane negabant; alii vero affirmabant hanc quaestionem, & defendebant, renatis omnino perfectionem quandam competere. Et quidem maximo cum iure defensio huins quaestions ab his suscipiebatur. Ne vero aliquid affirmare videamus, quod probare non possemus: agedum rationes adserti nostri adiungemus.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Prima ratio desumpta est ex eo, quoniam *sacrae litterae perfectionem quandam renatis tribuunt*. Marth. V, 48. c.XIX, 21. Eph. IV, 13 Phil. III, 15. Col. I, 28 c. III, 14. c IV, 12. Quaecunque vero *sacrae paginae pronunciant*, ea nulli sunt exposita errori; sed veritati quam maxime conueniunt. Ergo etiam, renatis perfectionem quandam tribui, quum *sacrae litterae ipsae tribuant*, errori haud est subiectum. Deinde secunda pro nostra sententia deponita est ratio *ab antiqua christiana civitate*. Videlicet doctores antiquae ecclesiae ab vsu huius vocis non abhorruerunt. Et exinde quoque factum est, ut omnes christiani homines tunc temporis nuncupati sint *rebelles*, perfecti. Porro *libri symbolici* usum huius vocis admittunt, vt tam ex Aug. Confess. quam eiusdem Apologia videre licet. Praeterea, *abusus non tollit usum*. Lubentissimo concedimus animo, hanc adassertione multo superioribus temporibus fuisse expositam abusui; exinde tamen concludere non possumus, eam plane e medio esse tollendam; si modo vera adiungarur explicatio. Denique, tanquam quintam rationem adhuc addimus, tantum abesse, ut *vsus huius vocis damnum secum ferat*, ut potius *fructus, exinde redundantes, permulti sint*. Utilitas vero, quae exinde oriri potest, in eo consistit, ut studium ardentissimum renouationis & sanctificationis, nobis considerantibus, renatos quoque in hac iam iam vita ad perfectionem quandam peruenire posse, magis magisque excitetur & inflammetur.

## §. XXXV.

Quam igitur res sit certa atque explorata, renatis iam in praesenti vita perfectionem quandam esse concedendam: nunc porro ad varium huius vocis usum animum adverte-

D

mus.

## 26 DISPUTAT·EXEGETICO-THEOLOGICA

mus. *Triplex* potissimum *usus* in sacris litteris, qui annotetur, dignus est. Primo quidem loco idein est, ac *integer, sincerus.* Vbi hebraeae voci שָׁמַן respondet. Sic usurpatur haec vox in veteri testamento de Noacho Gen. VI, 9: nec non de Abrahamo Gen. XVII, 1. Huc etiam sequentia adhuc loca pertinent: Ps. XIX, 14. Ps. XVIII, 24. 2 Reg. XX, 3. Ies. XXXVIII, 3. Iud. IX, 16. Deinde de *perfectione respectu* adhibetur, vbi quidam homines in comparatione ad alios perfecti nuncupantur, qui iam iam maiores prae aliis in christianismo fecerunt progressus. Ebr. V, 4. Denique vocabulum istud de *perfectione inchoata* accipitur, quae apud christianos homines in statu gratiae locum habet, quam *perfectio consummata* in statu gloriae sequitur.

### §. XXXVI.

Priusquam *speciatim* in doctrinam de perfectione renatorum inquirere possumus, *generatim* adhuc aliquid de notione perfectionis erit annotandum. Nimirum notio perfectionis generatim sumtae diuersimode a philosophis editur. Alii definiunt perfectionem per sufficientiam ad unum. Alii hancce proferunt definitionem, quod sit consensus in varierate, siue plurium a se inuicem differentium in uno. Alii per consensum variorum definiunt perfectionem. Et iterum alii dicunt, quod perfectio sit *consensus variorum ad unum.* Quam posteriorem definitionem etiam hic retinebimus.

Videntur quidem in hac ultimo loco adducta definitione quedam superflua, nimirum verba, *ad unum;* quoniam iam in notione *consensus* contineantur. Consentient namque res, si plura ad unum tendunt. Ergo *consensus* est affectio, vi cuius plura ad unum tendunt. Interim tamen maioris perspicuitatis causa haecce verba adhuc adiunximus.

### §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Ad *specialiorem* perfectionis renatorum tractationem nunc deueniemus, vbi variae perfectionis distinctiones a nobis pertractandae erunt. Perfectio non minus *ratione spiritualis essentiae* renatorum, quam *ratione actionum eorum* diuiditur. Ad prius quod attinet huius distinctionis membrum, scilicet *ratione spiritualis regenitorum essentiae*, datur *perfectio partium & graduum*. In quam distinctionem nunc aliquid curatus inquirendum erit.

## §. XXXVIII.

Expendenda itaque primo loco erit *perfectio partium*. Nobis vero *perfectio partium* est consensus omnium ad novum hominem constituendum requisitorum, ut singula momenta essentialia adsint, & vt rite conspirent. Momenra vero essentialia, nouum seu verum christianum hominem constitueria, tam quoad euangelium quam quoad legem considerari possunt, atque a nobis etiam ita consideranda erunt.

## §. XXXIX.

Consideraturis nobis I secundum euangelium haec momenta essentialia, quae ad nouum hominem constituendum requiruntur: ad *tria* potissimum animus aduertendus erit *momenta*, quae necessario vnicuique, qui vere cum Deo coniunctis adscribi cupit, inesse debent. Quae tria momenta essentialia sunt fides, charitas & spes. 1 Cor. XIII, 13. 1 Thess. I, 3. Primo itaque tamquam fundamentum hoc refertur *fides*. Non vero *fides politica & ciuilis*, cuius usus in contractibus & communi vita est. Quae quidem in hominibus etiam christianis requiritur; nihil tamen quicquam ad eorum conductit salutem eternam. Neque hic per fidem ipsam intelligimus *religionem*, quae alioquin quidem in sacris

28 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA.

paginis interdum hoc nomine venit. Rom. I, 8. Gal. VI, 10. Neque nobis hic sermo est de *fide obiectiva*, seu fide, quae creditur, quae est doctrina, cui fides adhiberi debet. Rom. XII, 7. Gal. III, 23. Iudae v. 3. Neque hic in censum venit *fides historica*, quae ultra naturalem assensum non ascendit, adeoque in eo solum aquiescit, quod de Deo rebusque diuinis reuelata pro veris habeat. Sed hic de *fide salutifica* tantummodo loquimur, quae tria sub se comprehendit, veram ac viuam cognitionem, assensum supernaturalem & fiduciam salutarem. Quae vterius explanare, non est huius loci. Quoniam vero fides non potest esse vera ac viua, nisi per charitatem operetur: ideo *charitas* quoque partem veri christiani hominis efficit essentialiem. Involuit autem non solum charitatem erga alios homines; sed praecipue etiam erga Deum, quae tanquam fundamentum prioris est consideranda. Alium hominem vere amare nequimus, nisi Deum sincero animo amemus. 1 Io. IV, 20. Ultimum denique, tamquam tertium momentum, *spes* occupat. Spes autem nihil est aliud, quam gaudium ob futurum bonum, quod contenturos nos esse certo scimus. Vbi igitur tria ista momenta essentialia in christiano homine reperiuntur, apud eum tunc deprehenditur perfectio euangelica. Cur euangelica dicatur, luculenter nunc pater. Nam fides & spes circa bona euangelica occupantur, & amor ex amore Christi, per euangelium nobis collato, ortum trahit.

§. XL.

Perfectio ista, quae euangelicae nomine venit, iterum in *perfectionem imputatam* & *inbaesiuam* distinguitur. *Perfectio imputata* in eo consistit, ut vere credentibus Christi iustitia a Deo impuretur, illique ob meritum sponsoris grati atque accepti Deo reddantur. Col. II, 10. Quae perfectio impu-

imputata pertinet ad iustificationem. *Perfectio imbaesua* his  
absoluitur, vbi vere cum Deo coniuncti homines per vires  
supernaturales, in regeneratione ipsis concessas, sinceram er-  
ga Deum obseruant obedientiam.

## §. XLI.

Non solum vero secundum euangelium partes veri  
christiani hominis essentialia sunt considerandae; sed etiam  
II secundum legem. Lex autem tria potissimum officia, a  
nobis praestanda, prescribit. Quorum *primum* amorem  
Dei concernit. Est autem amor Dei propensio volunta-  
tis infinita, qua homo Deuin ceu summum bonum com-  
pletebitur; & in eo veram animi quierem quærerit atque in-  
uenit. Ad *secundum* quod attinet officium, nimur amo-  
rem sui: consistit ille in studio, statum suum ac conditionem  
perpetuo perfectiorem reddendi; seu amor sui est studium,  
felicitatem suam promouendi. Amor iste sui si ordinatus  
fuerit, neutquam Deo displicet; sed potius ab eo manda-  
tur. Inordinatus autem amor sui in vitio ponitur. *Ter-  
tium* denique officium amor alterius est. Qui amor est stu-  
dium, aliorum hominum salutem promouendi. Homo  
quum haecce tria colat officia; perfectio tunc ipsi inest se-  
cundum legem, ieu legalis. Perfectio igitur legalis status  
ille est hominis, qui praceptis diuinae legis respondet. Ex  
quibus nunc satis superque appareret, quod non sufficiat vnam  
alteramue legis partem obseruare; sed vbi legi diuinae vi-  
tam degere velimus conuenientem, totam nos oporteat ob-  
seruare legem. Hoc vero a nobis, quum Deum, nosmet-  
ipsos aliquosque homines vero amore prosequimur, efficitur.

## §. XLII.

Quae hucusque delineauimus momenta essentialia, in  
ynquoque vere renato necessario deprehendi debent. Ideo-

D 3

que

### 30 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

que si quis vna alterae parte careret essentiali, ad veros christianos homines neutquam esset referendus. Vnicuique, in coniunctione cum Deo permanere cupienti, in eo non acquiescendum est, quod in Christum se credere putet, vero licet destinatus sit amore. Tantum enim abest, vt vera in Deum fide sine amore quis polleat, vt potius ea vera non sit fides, quae cum sincero amore non coniuncta est. Fides enim sine amore consistere nequit; & e contrario amor sincerus sine fide locum habere non potest. Nemini etiam, a quo vera fides exulat, spes futurae salutis viua inesse potest. Quae tria ex euangelio deriuata, nimirum fides, amor & spes, adeo inter se sunt coniuncta, vt vnum sine altero stare nequeat. Consideratis itaque partibus essentialibus christianism ratione legis: nunc necessario etiam requiritur, vt illae simul sumtae in renato offendantur. Etenim quis Deum ex animi sinceritate diligere atque amare potest, vbi semetipsum & alios homines non simul prosequitur vero amore? 1o. IV, 24. Ideoque videmus, fieri non posse, vt quis perfectione partium instructus sit, qui non omnibus hucusque recensitis momentis gaudeat.

#### §. XLIII.

De perfectione partium quum egerimus, ad *perfectiōnem graduum* iam iam progrediemur. In eo autem haec perfectio graduum consistit, si momenta renati essentialia incrementa ceperint maiora, quam sub initium status sui gracie habuerint. Verum quidem est, vnumquemque, simulac omnibus momentis essentialibus, in antecedentibus commemoratis, gaudeat, verum christianum hominem esse nominandum; interim tamen unus altero maiores in christianismo facere potest progressus. Ideoque gradus renatorum sunt admittendi: id quod ex sacris oraculis satis superque per-

perspicitur. Etenim ea requirunt atque postulant, ut credentes in bono incrementa capere debeant. 1 Thess. I, 3. 6. c. II, 13. 14. c. III, 12. 13. c. IV, 1. Eph. IV, 15. Phil. I, 9. Col. I, 9. Ex quibus locis manifeste patet, gradus christianismi diuersos dari. Confirmatur etiam exinde huius rei veritas, quoniam sacrae paginae hos gradus sub symbolo distributionis variorum talentorum depingunt. Luc. XIX, 16. sqq. Matth. VIII, 28. Ies. XLII, 3. 1 Cor. I, 3-5. c. III, 1. Originem vero suam isti gradus renatorum a sapienti gubernatione Dei, vnicuique tot distribuentis dona, quot salutaria esse nouit, alteri plura, alteri pauciora, trahunt. Ephef. V, 15. 16. 1 Cor. XII, 4. Neque minus isti gradus a fideli semel a Deo acceptae gratiae vsu profiscuntur. Quodsi homo bonum, quod a Deo iam accepit, bene adhibet, plurium particeps redditur bonorum; sicuti e contrario, bonum a Deo acceptum spernens, etiam id, quod habet, rursus amittit. Denique etiam gradus ex diuersa fidei ratione oriuntur. Fides enim est medium, quo vires spirituales accipimus. Vbi igitur fidei infirmitas nobis est, tunc totus christianismus noster quoque est infirmus: si vero pleni sumus fide, spiritualibus viribus etiam abundamus.

## §. XLIV.

Diuersos hos gradus in sacra scriptura sub symbolo diuersae aetatis naturalis, inter homines obtinentis, delineari, nihil inusitati est atque insoliti. Sicuti igitur in regno naturae inter homines pueri, iuuenes & viri inueniuntur: simili modo etiam spirituales dantur pueri, iuuenes & viri in regno gratiae. De qua distinctione potissimum fit mentio 1 Io. II, 12. 13. 14.

Sunt quidem nonnulli, persuasum sibi habentes, hunc locum 1 Io. II, 12. 13. 14. de naturalis aetatis diuersitate tantummodo

32 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

modo esse intelligentum. Iam quidem libenter quoque concedimus Ioannem ad naturalem aetatem respexisse; interim tamen hoc etiam est certum atque exploratum, Apostolo hoc in dicto imprimis de aetatisbus, spirituali sensu sumitis, sermonem esse; quoniam Apostolus in eo est, ut notas ac characteres renatorum commemoret atque recenseat. cap. II, 29. cap. III, 9. cap. V, 1. 4.

§. XLV.

Quod ad primam harum aetatum, videlicet *puerilem*, attinet, ii in christianismo pueri audiunt, qui quidem vere ex Deo nati sunt, quibus vero multae adhuc adhaerent infirmitates, tam ratione cognitionis, quam praxeos veritatum diuinarum. Hanc aetatem homo ingreditur, simulac seruitum peccati missum facit & ad Deum vere conuertitur. Si autem cognitio & fides in illo homine augetur; tunc ad *iuuenilem* transit aetatem. De iuuenibus Ioannes tres notat characteristicas in medium proculit. Primo, fortis nominat illos. Quam fortitudinem Iesum, Seruator noster, illis tribuit, qui fide cum ipso coniuncti sunt; ideoque in ipso manent. Io. XV, 5. Fortes autem sunt in spiritu atque in interiori homine. Eph. III, 16. Fortes sunt in cognitione veritatum diuinarum. Corroborati sunt in fide. Rom. V, 2. Eph. III, 12. Ebr. IV, 16. cap. X, 22. Confirmati sunt in proposito, Iesum, Seruatorem suum, ad mortem usque sincero amore prosequendi, 1Cor. XVI, 13, nec non in abnegatione rerum mundanarum. Galat. VI, 14. Deinde dicit Ioannes: manet verbum Dei in illis, h. e. vim & efficaciam verbi diuinii experiuntur, & secundum illud suam vitae rationem instituunt. Denique Apostolus iuuenes spirituales tamquam vincentes malum, i. e. diabolum, describit. Quamdiu enim hac in vita degunt, illis luctandum atque pugnandum est cum diabolo; sed auxiliante Deo potentissimum illum hostem

stem vicerunt & quotidie adhuc vincunt. Ad viros spirituales quod attinet; illum, inquit Iohannes, qui ab initio est, ii cognoscunt. Cognitione pueri quidem etiam instructi sunt & iuuenes; sed viri spirituales maiori cognitionis Dei veritatumque diuinarum ornati sunt mensura. Magna illis est viarum Dei experientia. Multis se in hac vita circumdatos esse hostibus, bene cognitum habent; ideoque omnis securitas ab ipsis exulat. Cum Christo versantur quam coniunctissime. Multas quidem afflictiones hic patres spirituales perpeti oportet; interim tamen sub afflictionum onere sunt beati, de illisque adhuc gloriantur. Iac. I, 2. Rom. V, 3. Copiosius hanc triplicem aeratem renatorum spiritualem IOAN.  
PORSTIVS in theol. regenit. pertractauit.

## §. XLVI.

Egimus hucusque de perfectione graduum in se. Ab ista autem probe adhuc est perfectio absoluta discernenda, quae in eo consistit, ut supra in medium prolata momenta essentialia, renatum constituentia, penitus & plenissime inter se consentiant. Vnde sequitur, omnem diffensionem in singulorum mutationibus exulare: ideoque omne peccatum, etiam originale, homini non amplius adhaerere. Nam vero de nullo mortalium, quamdiu hic vitam agit, dici potest, ipsum ab omni peccato immunem esse: quare perfectio absoluta in futuro seculo locum inueniet apud eos, qui vera fide usque ad ultimum virae terminum Christo adhaeserunt. Interim tamen uniuicique renatorum, quamdiu in mundo adhuc viuit, incumbit, ut in eo omni animi contentione elaboret, ut omni tempore maiores in christianismo faciat progressus; donec ex beneficito Dei vita cum morte ipsi commutanda erit, ubi ad perfectionem illam absolutam adscenderet.

E

Sunt

### 34 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

Sunt quidem, quibus perfectio graduum ea est perfectio, quam nos absolutam diximus. Nunc quidem lubentissimo concedimus animo, hoc ita fieri posse; interim tamen hic ad discrimen illud respeximus, quod inter perfectionem graduum comparativam & perfectionem graduum absolutam intercedit.

#### §. XLVII.

Primum hucusque explicuimus divisionis supra adlatae membrum, quod perfectionem renatorum ratione spiritualis essentiae concernit. Ideoque nostrum erit, secundum quod restat membrum, quod maximi momenti & ponderis est, etiam delineare, vbi perfectio regenitorum ratione actionum spiritualium expendenda est. Doctrinam illam igitur de observatione praceptorum Dei hic considerare debemus. Ut autem omnia iusto tradamus ordini; quatuor momenta erunt a nobis pertractanda. *Primo* subiectum observationis praceptorum Dei rite erit constitendum. *Deinde* obiectum huius observationis erit determinandum. *Porro* modus & ratio huius observationis erit adducendus. *Tandem* necessitas quoque observationis praceptorum Dei erit attingenda.

#### §. XLVIII.

In eo quum simus, ut *I. subiectum observationis praceptorum Dei* commonstremus: ad duo potissimum momenta animus erit dirigendus. Primo negatiue de subiecto agemus. Deinde positivie propius & scopo nostro convenientius subiectum verum & unicum explanabimus.

#### §. XLIX.

Ad primum quod attinet, scilicet quodnam verum observationis praceptorum Dei *subiectum non sit*; respondendum est: omnes *irrigeniti* a vere pracepta Dei seruantibus excluduntur. Id quod tam ex rei natura, quam ex sa-

cris

eris litteris comprobari potest quam luculentissime. 1) Ex *notione irregeniti* patet. Quis enim est irregenitus? Irre-  
genitus in oppositione ad regenitum est spiritualiter mor-  
tuus. Per consequens vira ex Deo caret. Quodsi vero  
vita spiritualis ipsi deest, vires quoque spirituales, quas in  
regeneratione homo adipiscitur, deficiunt. Quum vero vi-  
res spirituales ab homine exulent, abest etiam viua ab illo  
homine cognitio. Ad cognitionem vero viuam non suffi-  
cit, hominem tantummodo historica atque litterali Dei eius-  
que voluntatis cognitione gaudere; sed assensus necessario  
requiritur. Assensus autem praesupponit, hominem illud,  
cui assensum suum praebeat, tamquam aliquid boni sibi re-  
praesentasse. At enim vero homo irregenitus, licet volunta-  
tem Dei historice cognoscat; attamen viua illius cognitione  
destitutus est. Intellectus enim ipsius non est illuminatus. Er-  
go etiam assensum suum verbo diuino, quo voluntas Dei litte-  
ris est consignata, non praebet. Hocvero ita se habere, ex re-  
latione intellectus ad voluntatem intelligitur. Simulac enim  
intellectus rem quamdam tamquam boni aliquid sibi repre-  
sentat, voluntas statim etiam ad id perficiendum, mouetur. Si  
igitur homo non renatus praceptorum Dei obseruationem  
tamquam bonum consideraret Spiritus sancti illuminatione:  
statim etiam voluntas ipsius ad seruanda praecpta Dei incita-  
retur. Quoniam vero id ab irregenitis non sit, satis super-  
que etiam appetit, irregenitos praecpta Dei non obseruare.

§. L.

Non solum vero haec res, quod nimirum irregeniti  
praecpta Dei non seruent nec obseruare possint, a priori;  
sed potissimum etiam 2) ex *sacris paginis* comprobari potest.  
Primum nostrum argumentum ex sacris litteris petitum in  
eo consistit: *Quoniam a non renatis gratiosa Dei praesentia*

E 2

abest.

36 DISPVAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

*abest.* Quicunque vero grātiosa Dei praeſentia deſtituitur, ab eo etiam nihil quicquam procreatur boni. Etenim bonum operari grātiosa Dei praeſentia abſolutitur. Vbi vero nihil boni ab homine producitur, praecepta Dei etiam ab illo non obſeruantur nec obſeruari poſſunt. Phil. II, 13. Ioan. XV, 5. Quibus in adductis duobus locis ſermo quidem de renatis eſt; interim tamen a maiori ad minus concludere licet: Si renatus ſine Deo nihil boni peragere valet, multo minus irregenitus boni aliquid perfidere poſteſt.

§. LI.

Secundum argumentum, ex quo hanc *aduauatav* obſeruandorum praeceptorum Dei probatum exhibemus, ex Rom. VII, 14. depromittur. Vbi Paulus, *lex*, inquit, *spiritualis eſt, ego autem carnalis sum.* Apostolo lex hic nomine *spiritualis* venit has ob rationes, quas BALDWINVS in comment. epift. ad Roman. protulit: partim quia auctorem habet Spiritum sanctum; partim quia spiritualia habet mandata; partim quia non tantum externam requirit disciplinam, sed spiritum hominis, ſeu totum cor atque mentem; partim quia tanta eius perfectio, non niſi Spiritu Dei, intelligitur; partim quia spiritualia bona promittit obedientibus. Se vero Paulus nominat *carnalem*; quia multis infirmitatibus & ſuggeſtionebus carnis ſe farebatur obnoxium. Quodsi vero Paulus de ſemelipſo adfirmet, ſe ne uitiam praecepta Dei ſe legem diuinam perfecte obſeruare poſſe; multo minus irregenitus, gratiae diuinae morose refiſtens, illud efficere poterit.

§. LII.

Referenda huic ſunt tertio loco illa dicta, in quibus corruptionis & peccati ſeruitus deſcribitur. Io. VIII, 34. Rom. VI, 16. 17. 2 Petr. II, 19. Si autem homo irregenitus peccatum facit, ideoque peccato ſeruit, Deo nequaquam poſteſt perfici-

perficiendo bono seruire. Quicunque vero bono peragendo Deum non colit, ille etiam praecepta Dei non seruat. Ideoque irregenitus praecepta Dei non obseruat nec obseruare potest.

## §. LIII.

Quatum petitur argumentum ex Rom. VIII, 7. 8. Per *Φέρνει τὸν σωγόνα* Apostolus intelligit omnem sapientiam & intellectum hominis naturalibus suis viribus relicti. De hac sapientia carnis pronunciat: *Inimicitia est in Deum.* Quodsi vero homo non renatus inimicitiam in Deum fuerit, legem obseruare non potest. Legis enim obseruatio in eo conflitit, vt Deum sincero animo non diligamus solum, verum etiam amemus. Porro de hac sapientia carnis adseritur: *eam legi Dei non esse subiectam.* Quae locutio eum inuoluit sensum, hominem in corrupto statu, in quo sine gratia Dei deprehenditur, legi diuinae morem non gerere. Vbi vero homo in corrupto suo statu legi obedientiam non praefstat, praecepta Dei quoque non obseruat. Denique etiam ex hoc dicto *adivauit* obseruationis praeceptorum Dei exinde probatur, quoniam versu 8 additur: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* In carne esse Apostolo idem est, ac carnalibus desideriis indulgere, carnalia & mundana tantum sapere, spirituque Dei non gubernari. Quum autem viuisquisque non renatorum in carne sit, praecepta Dei non obseruant isti nec obseruare possunt: alias enim Deo placent, & in statu gratiae essent. Id quod Paulus hoc loco negat.

## §. LIV.

Ex adductis argumentis quilibet nunc facile perspicere poterit, nobisque concedet, nullum irregenitorum ad seruantes Dei praecepta esse referendum. Solummodo igitur renatus obseruationis diuinorum praeceptorum *verum* est

38 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

*subiectum.* Id quod iterum primo *ex notione renati* probare possumus. Renatus enim est, qui vita spirituali pollet. Si autem renatus vita spirituali pollet, viribus etiam est instrutus spiritualibus. Si viribus gaudet spiritualibus, illi etiam inest fides. Fide si renatus gaudet, cognitione viua etiam est exornatus. Si vero cognitio viua in illo deprehenditur, non historice tantum verbum Dei & voluntatem ipsius intelligit; verum etiam assensum suum illi praebet. Quodsi vero verbo Dei & voluntati diuinae assentitur: voluntas ipsius etiam ad voluntatem Dei perficiendam incitat. Renatus autem voluntatem Dei perficiens, praecepta Dei obseruat.

§. LV.

Ad probandam hancce rem, secundo loco *ad sacras litteras* iam iam prouocamus. Et hic primo ad dictum, in sectione prima explicatum, animum conuertimus. *Natus*, inquit Apostolus, *ex Deo, peccatum non facit.* Quum vero natus ex Deo peccatum non faciat, sequitur exinde, ut bono det operam. Vbi autem bono studet, praecepta Dei obseruat. Deus enim in lege mali omissionem bonique executionem postulat. Quid? quod in dicto ista etiam adhuc adiungitur: *non potest peccare.* Si vero non potest peccare, bonum exequi necessario ipsum oportet. Et quum renatus bono studeat, praecepta Dei obseruat. Ideoque ex dicto nostro quam maxime patet, solos renatos praecepta Dei obseruare, atque obseruare posse.

§. LVI.

Secundum argumentum ex Ezechielis c. XXXVI, 26.27. colligitur. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & amouens cor lapideum e carne vestra, indam vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri,* quo

*quo faciam, ut in statutis meis ambuletis, & iura mea obseruetis, facientes ea.* Hoc in dicto continetur, quaenam illorum esse debeat conditio, qui praecepsis Dei obedientiam praebere cipiunt. Nimurum 1) positiue, dabo vobis, inquit Prophetæ, cor nouum, h. e. cor Deum timens eique obsecundans, quod ad discrimen veteris ac nobiscum nati, impiorum & inobedientis dicitur cordis: quia illud renatis singulari Dei misericordia donatur. Per spiritum nouum intelligit nouum hominem, seu vires spirituales, quae homini in regeneratione fudderuntur. Haec bona igitur requiruntur, quum homo praecpta Dei seruare velit. Vbi vero homo bonorum istorum particeps redditur: ibi aliquid etiam est ab homine 2) remouendum, quod Spiritus per Prophetam cor lapideum nominat, h. e. induratum, quod nullis mandatis ac minis Dei mouetur aut terretur. Huic lapideo cordi cor carneum est oppositum, quod pro docili, sequaci, ad bonum flexibili & Deum timente ponitur: sicut caro molle quid est, & id, quod facile penetrari potest. Illud remouetur, hoc homini in regeneratione datur. Quicunque igitur cor nouum & spiritum nouum impetravit, ille etiam praecpta Dei seruat & seruare potest. Iam vero renatus horum bonorum in regeneratione particeps factus est: ideoque praecpta Dei seruat & seruare potest.

## §. LVII.

Tertium denique argumentum ex secunda epistola Petri c. I, 3. sqq. desumimus. Hoc dicto docemur, omnem sanctam vitam colere cupientem, vires spirituales ad hoc perficiendum a Deo accepisse. Nunc autem nullus alius quam renatus viribus gaudet spiritualibus; in regeneratione enim homini vires illæ spirituales suppeditantur: ergo irregenitus neutquam sanctam arque Deo placentem gerere potest.

#### 40 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

potest vitam, h. e. pracepta Dei seruare non potest; sed renati solummodo praceptis Dei obedientiam praestare valent.

#### §. LVIII.

Progredimur iam II. ad secundum momentum, quod in doctrina de obseruatione praceptorum Dei nobis pertractandum erit. Vbi in *obieatum*, seu pracepta a renatis obseruanda, inquirendum est. Quod ad pracepta ista atinet, probe notandum est, pandectas sacras & de praceptis Dei scil. trinunius generatim, & de praceptis Christi speciatim loqui. De vtroque paucula quaedam in praesenti ex instituto nostro adlaturi sumus.

#### §. LIX.

Quod igitur *praecpta Dei* concernit, illorum in sacris litteris commemoratorum magna quidem multitudo est; interim tamen ad duo haec genera commode reduci possunt. Nimurum praecptum datur euangelicum, & dantur proprie sic dicta pracepta, siue legalia. Praecptum euangelicum absoluunt fide in Christum. Praecepta legalia seu proprie sic dicta continet decalogus. Quae pracepta legalia omnia ex ipsa Christi explicatione Matth. XXII, 37-40. ad haec duo, nimurum amorem Dei & proximi, sepe referunt. Si enim homo verum amorem erga Deum colit, pracepta tabulae primae obseruat, & quum amore sincero proximum prosequitur, praceptis tabulae secundae praestabit obedientiam. Huius vtriusque generis praceptorum sacra scriptura saepissime mentionem facit. 1. Cor. III, 23. Gal. V, 6. 1 Cor. XIII, 13. Ephes. I, 15. c. III, 17-18. 1 Tim. I, 14.

Praecepta haec, tam euangelicum quam legalia, ab omnibus renatis sunt obseruanda, & quoque obseruantur, eo nimurum modo, vti postea indicabimus. Interim tamen permagnum adhuc

adhuc ratione finis inter haec praecepta intercedit discrimen. Etenim fides in Christum ad consequendam iustitiam illius & salutem est nobis data. Io. VI, 40. Rom. IV, 16. Praeceptorum vero legalium nullus aliis est finis, quam ut specimina fidei nostrae in Christum & grati animi tam erga Deum, quam Christum edamus. Iac. II, 18. Matth. V, 16.

## §. LX.

Ad *praecepta Christi*, quae a renatis obseruanda sunt, quod attinet, sunt quidem eadem cum praeceptis Dei generali, videlicet fides atque amor Dei & proximi, quae sequentibus in locis nominantur: Io. XIV, 15. 21. c. XV, 10. 14: Nostrum vero erit, rationes, cur Christi praeceptorum nomine veniant, indagare. 1) Christi praecepta dicuntur, quoniam Christus ista praecepta edidit. Non solum enim in diebus carnis suae tum fidem commendauit & praecepit, Ioh. XIV, 1, tum amorem Dei & alterius praescripsit, Matth. XXII, 37-39. coll. Luc. X, 28: sed etiam potissimum auctor legis moralis est. 2) Quoniam desiderat, ut praecepta haec ce pro suis habeantur & a quolibet homine obseruentur.

D. IO. GERHARDVS, Theologus quandam celeberrimus, in *Harmonia euangelistarum*, c. CLXXVI. in pandectis, inquit, euangelicis inuenientur tum affirmativa tum negativa Christi praecepta. Ad priorem classem pertinent praecepta poenitentiae, Matth. IV, 17. fidei, Io. VI, 29. c. XIV, 1. fraternalis dilectionis, Io. XIII, 34. cap. XV, 12. humilitatis & mansuetudinis, Matth. XI, 28. patientiae, Luc. XXI, 19. vigilantiae, Luc. XII, 35. orationis indefessae. Matth. XXVI, 41. Luc. XVIII, 1. &c. Ad posteriorem classem pertinent praecepta de cauenda sollicitudine vietus, Matth. VI, 25. auaritia, v. 19. Luc. XII, 15. hypocrisi, Matth. VI, 1. crapula & ebrietate, Luc. XXI, 34. scandalis. Matth. XVIII, 7. &c. Forte nunc quis cogitat, hanc divisionem praeceptorum Christi nostrae allatae repugnare distinctioni; quoniam praecepta Christi ad

F

fidem

## 42 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

fidem in ipsum, atque amorem Dei & proximi reuocauimus. At enim vero *Gerhardiana* diuisio neutiquam nostrae repugnat; sed cum nostra plane consistere potest. Etenim reliqua a b. GERHARDO adducta praecepta ad haec a nobis prolatia reduci possunt praecepta. Ex ipsis enim emanant tamquam riuiuli e fluulo.

Io. XIII. 34. Christus Seruator noster amorem mutuum vocat praeceptum nouum. *Praeceptum nouum*, inquit, *do vobis, ut ametis inuicem*. De hoc dicto duo potissimum sunt notanda. Primo loco brevibus inquiramus: quena[m] horum verborum non sit sententia. Haec nimur verba non ita sunt sumenda, ac si hoc praeceptum, quod Christus discipulis suis & cum iis omnibus hominibus dedit, in veteri testamento notum nondum fuisset. Hac enim ratione hoc dictum verbis epistole primae Io. c. II, 7. plane contradiceret, item 2 Io. v. 5. Interim tamen fuerunt, qui his verbis hunc assinxerunt sensum, Christum absolute & simpliciter nouum dedisse praeceptum; vti Pontificii, Sociniani. Ex quibus deinde colligunt, Christum nouum fuisse legislatorem. Multo magis, secundo loco, has ob causas praeceptum hoc *nouum* nuncupat. 1) Quia κανόνες in sacris litteris interdum idem denotat, ac ἔργος. Exod. I, 8. Matth. XXVI, 29. Marc. XVI, 17. Act. II, 4. Et hic significatus etiam hoc in dicto secundum contextum locum habere potest. Quum enim Christus in superioribus ad fugiendam ambitionem & sectandam humilitatem adhortatus fuisset, dicit: *praeceptum nouum*, i.e. *aliquid do*. 2) Quia Christus hoc praeceptum non a corruptricibus Pharisaeis soluni purgavit; sed etiam nouo ac singulari suo exemplo commendauit. 3) Porro, quia Moses tantum praecipit, nec subministrat vires praefandi: Christus autem iubet & iuuat. 4) Neque minus quia Moses rigore maximo perfectam obedientiam exigit, Christus rigorem e contrario temperat & imperfectionem tegit. 5) Denique quia homini nouo proponitur, qui per Spiritus sancti gratiam in noua vita ambulat.

§. LXI.

## §. LXI.

In eo hucusque elaborauimus, ut tam subiectum obseruationis praceptorum Dei, quam obiectum determinauerimus. Iam vero nobis incumbit, ut III. distinctius modum & formam obseruationis praceptorum Dei indicemus. Et enim non sufficit, nos dicere, renatos posse praecepta Dei obseruare; sed potissimum etiam est determinandum, quo sensu renati possint seruare praecepta Dei.

## §. LXII.

Priusquam autem ad hanc ipsam nos accingamus translationem, de locutione, ἐντολῇ τηγεῖν, seruare praecepta Dei, aliquid erit annotandum. Τηγεῖν primo significat, sollicite aliquid custodire ac seruare, ne vel amittatur vel ab aliis eripiatur. Deinde etiam notat seruare, ut quando conditio-nes foederis aliquis dicitur τηγεῖν. Interdum alia adhuc vox huic adiungitur, nimirum, ποιῶν. Matth. XXIII, 3. Vide-mus itaque, homini in eo non acquiescendum esse, ut praecepta Dei tantummodo audiat ac memoria teneat; sed potius praecepta Dei seruanda esse, vitamque illis conuenientem instituendam; licet antea praecepta Dei necessario a nobis audienda & memoria capienda sint. Terminus complexus, τηγεῖν τας ἐντολας, tria potissimum complectitur. Primo fidem cordis, qua verbum Christi magni aestimamus, adsersum illi adhibemus & in cordis penetrali recondimus. Talis fides est optimus verbi diuini custos: quia non sufficit memoria id tenere; sed oportet etiam nos fide illud asseruare. Luc. VIII, 15. Deinde confessionem oris, ne persecutionibus & aduersis nos patiamur a verbo auelli. Denique exsecutionem operis, ut verbo & voluntati diuinae nostram voluntatem & nostra opera conformemus. Deut. VI, 6. 7. 17. 18.

In sacris litteris multæ adhuc deprehenduntur locutiones,  
F 2 nihil

#### 44 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

nihil aliud denotantes, quam formula loquendi, seruare praecpta Dei. Ex quibus autem multis de vnica tantummodo, quae est, legem implere, in praesenti aliquid differemus. Terminus implere alias est metaphoricus, & a theologis pro perficie usurpatum, desumpta metaphora a vase vacuo, quod impleri oportet ad omnem rem perficiendam. Quae metaphora etiam hic locum inuenit. Ad totam phrasin quod attinet, legem implere; significat illa hic nihil aliud, quam legi obedientiam praestare, seu legi satisfacere, obseruare legem. Hunc vero sensum locutione ista posse combinari, & necessario combinandum esse, ex sequentibus scripturarae sacrae locis patet: Rom. XIII, 8. 10. Gal. VI, 2. coll. Rom. VIII, 4. Ideoque haec locutio, implere legem, loco illius, obseruare praecepta Dei, iure meritoque usurpari potest. Sunt quidem nonnulli, peruersum sibi habentes, permagnum intercedere discrimen inter praecpta obseruare, & inter praecpta seu legem implere: Seruare quidem renatos posse praecepta Dei, non vero implere; tunc enim requireretur, ut ab omni liberi essent peccatorum labo. Nunc quidem lubenti concedimus & largimur animo, melius esse, a frequenti huius locutionis usu abstinere; partim quoniam sacrae paginae eam raro adhibuerunt; partim quoniam ab imperitis per facile alieno falsaque accipi potest sensu. Interim tamen omnem huius locutionis usum damnare nobis non licet, quoniam in scriptura ipsa fundatus est.

#### §. LXIII.

Ad ipsam per traetionem formae & modi, praecpta Dei seruandi, iam iam deueniamus. De hac vero forma observationis praeceptorum Dei ita agemus, ut primo veram nostrae ecclesiae sententiam explicaturi simus; deinde etiam sententiam Pontificiorum de hacce doctrina allaturi. Quod nostram concernit sententiam, iure meritoque contendere atque confirmare possumus, natos ex Deo, scilicet quatenus & quamdiu ex Deo nati sunt, praecpta Dei vere obseruare,

&

& custodire posse. Interim tamen id adhuc determinandum erit, quo sensu renati pracepta Dei seruare possint, & vtrum sensu legali, an euangelico pracepta Dei obseruent?

## §. LXIV.

Ad prius quod attinet, vtrum regeniti pracepta Dei sensu legali obseruare illisque obedientiam praestare possint: antea cognoscere & intelligere nos oportet, quid hoc sibi velit, pracepta Dei sensu legali obseruare? Sensu legali is obseruat pracepta Dei, qui illis secundum rigorem legis obedientiam praestat. Rigor vero legalis in eo consistit, ut lex perfectissimam, omnibusque numeris absolutam a nobis postuler obedientiam. Qui vero talem legi praestare cupit obedientiam, illum perpetuo intrinsece & extrinsece bonis operibus studere oportet, ita, ut ne minimum quidem cogitatione, siue voluntaria, siue inuoluntaria a lege aberret. Huiusmodi vero obedientiam legi praestare, homo in praesenti suo statu non valet. Si enim homo hac in vita praecipis diuinis eiusmodi praestare posset obedientiam, tunc dicendum nobis esset, renatos hic iam iam ad perfectionem graduum absolutam ascendere. Absoluitur enim tunc haec perfectio, quum homo summum illum obedientiae gradum, quem lex requirit, integre praestat.

In statu integritatis homo perfectissime legem implere poterat; quoniam sufficientibus a Deo tum instructus erat viribus, quas per lapsum amisit. Neque minus eriam in Christo haec perfectio fuit, qui integrum ac numeris & gradibus omnibus absolutam obedientiam legi praestitit. Homines vero, vt status corum praesens comparatus est, neutquam legi talem praebere valent obedientiam, quam antea indicauimus. Ideoque perfectione graduum absoluta in hac vita nequaquam exornati sunt, nisi tantum imputatione, quatenus nimurum perfecta ac omnibus numeris absoluta Christi obedientia per

## 46 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

fidem ipsis imputatur. In statu quidem glorificationis beati huiusmodi obedientiam voluntari diuinae praebunt: tunc enim omne peccatum ab ipsis exulabit.

### §. LXV.

Neminem vero hominum, quisquis etiam sit, quamdiu in hoc terrarum orbe degit, legi diuinae consummata & omnibus numeris absolutam praestare posse obedientiam, nobis in praesenti erit comprobandum. 1) Primo ad praecipuum legis ipsum prouoco, quod in compendio Deut. VI, 5. nobis exhibetur, & ita se habet: „Diliges Ieho-„uam, Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo,  
„& ex omnibus viribus tuis.“ In novo testamento hoc dictum etiam allegatur, sc. Matth. XXII, 37. Marc. XII, 30. Luc. X, 27. Dictum ipsum si paulo proprius adspiciamus, docet & iubet, Deum non superficialiter seu imperfecte; sed summo & perfectissimo amoris gradu, nimirum *ex corde*, non dimidio, sed *toto*, esse diligendum, ne diuidamus illud, adhaerentes partim Deo, partim creaturis; sed ut in amore Deo nihil praferamus, nec adaequemus. Ex tota quoque anima Deus colendus est, ita, ut quae Deo grata & accepta esse nouimus, maximo & ardenterissimo praestemus studio, & quae ipsis vel aduersa, vel ingrata scimus, summa ope fugiamus atque exsecremur. Vult deinde summum Numen *ex tota mente amari*, ut omnes nimirum animi sensus ad ea, quae supranos sunt, dirigamus, eaque subinde perpendamus, quae ad Dei venerationem summam nos incitare possint. Denique etiam ex omnibus viribus Deo obedire iubemur, ita, ut toti ipsis tantum adhaerentes, omnes animae virtutes, omniaque corporis membra ad Dei amorem & diuinorum mandatorum obseruationem conformemus. Ecquis autem est, qui Deum post lapsum hoc summo amoris gradu, si a Chri-

Christo discesserimus; prosecutus sit? quum renati peccatorum minime expertes sint, 1 Io. I, 8, purgare illos oporteat semetipsos ab omni & corporis & animi labe, sanctimonia perfungentes per totum vitae cursum cum Dei metu, 2 Cor. VII, 1; carnem quoque & in se habeant & sentiant, cuius arbitrio licet non viuant, cuius tamen actiones spiritu perire debeant. Rom. VIII, 12. 13. Patet ergo ex ipsa legis natura lapsorumque conditione, nullum hominem sensu legali praecelta Dei obseruare posse.

## §. LXVI.

2) Alium locum, qui impossibilitatem perfectae observationis praceptorum Dei defendit, inuenimus Act. XV, 10, vbi Petrus ita loquitur: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Hisce verbis erga quosdam Phariseos ad Christum conuersos Apostolus vsus est in concilio Hierosolymitano. Ipsi enim ex Phariseorum secta persuasum sibi habebant, nullum hominem vere iustificari, & per consequens etiam salutis aeternae participem fieri posse, nisi circumcidetur. Cui Apostolus Petrus vers. 10. sese opponit. Hic vero ante omnia inquirendum est, de quanam lege in hoc dicto sermo sit? Verum quidem est, legem ceremonialē hic in censum venire; interim tamen ad legem moralem potissimum respicitur. Rem vero hancce ita se habere, patet ex sequentibus rationibus. Prima ratio desumitur a commemoratione status controuersiae, qui vers. 5. tali modo proponitur: „Surrexerunt quidam de secta Phariseorum, qui crediderunt, dicentes, quod oporteat circumcidere & obseruare legem Mosis.“ Vbi cum circumcisione simul vniuersa lex Mosis coniungitur. Secunda ratio peritur a grauitate iugi. Lex enim, de qua sermo est, huiusmodi iugum

## 48 DISPVVTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

iugum nuncupatur, quod neque Apostoli, neque patres ipsorum ferre potuerint. Quis autem est, qui contendat atque affirmet, legem ceremonialem huius conditionis suis-  
ſe, vt pii illam seruare non potuissent? Ideoque necessario h. l. lex moralis est intelligenda. Excludenda quidem lex ceremonialis hic neutiquam est; interim tamen potissimum lex moralis in censum venit, quae iure meritoque iugum importabile appellari potest, quoniam a nullo renato perfecte potest impleri. Et posito, sed non concessso, hoc in dicto de lege ceremoniali sermonem esse, quae iugi importabilis nomine veniret: exinde a minori ad maius concludere possumus: Quum lex ceremonialis a renato impleri non potest, multo minus lex moralis ab illo perfecte implebitur. Longe enim facilius est, ritus externos, quam legem moralē seruare. Quodsi vero Petrus legem moralem iugum importabile nuncupat, nihil aliud hac denominatione indicare vult, quam quod nec patres veteris testamenti legem moralē ita implere potuissent, nec fideles noui testamenti ita seruare possint, vt per impletionem illam perfectissimam iustificationem & vitam aeternam adipiscantur. conf. Gal. III, ii. 12. cap. V, 3.

## §. LXVII.

3) Tertius denique locus, quem ad probandam *aduera-*  
*ptas* perfecte seruandi praecepta Dei allegare volumus, legi-  
tur Rom. VII, 14: „Lex spiritualis est, ego autem carnalis  
„sum, venundatus sub peccato.“ Cur lex *spiritualis* audiat,  
in superioribus iam iam indicaimus. Queritur autem,  
quo respectu Paulus semetipsum & sub persona sua omnes  
renatos vocare possit *carnales*. Id fieri potest primo, ratio-  
ne peccati originalis, a cuius sensu nondum plene in hac vita  
homo est liberatus. Deinde ratione peccatorum actualium,  
non

non quidem regnantium; sed ratione prauarum concupiscentiarum, quas ipsas, licet secundum legem non probet, sed in se ipso reprehendat, nihilominus tamen sentire cogitur. His praecliminariter quasi annotatis, iam probationem ipsam ex hoc dicto eruamus. Nimirum quum lex spiritualis sit, sequitur etiam exinde, legem mere spiritualia postulare opera. Quum vero homo, etiam renatus, sit carnalis, sequitur etiam, mere spiritualia opera a renato tamquam adhuc carnali non produci; sed adhuc quoque carnalia. Can non enim ille notissimus hic valet: Qualis caussa, talis effectus. Renatus tamquam caussa adhuc carnalis est, i.e. carnis actiones in se sentit. Ideo effectus non alius esse potest, quam malus, seu peccato contaminatus. Quare argumentari nobis nunc licet: Quicunque adhuc opera carnalia operatur, ille non perfecte obseruat praecepta Dei. Nunc vero renati qua tales opera carnalia quoque operantur. Maioris veritas exinde eluet, quoniam lex, quae est spiritualis, mere spiritualia opera postulat, ira ut omnia carnalia ab ea plane absint opera. Ideoque qui vnam tantum malam actionem operatur, licet hoc contra voluntatem ipsius fiat, ille statim totam legem transgreditur. Et per consequens neutquam legem perfecte implet. Minoris veritas exinde comprobatur, quoniam renati adhuc sunt carnales, h.e. peccati labore polluti. Ergo etiam mere spiritualia opera ab illis proferri non possunt. Ideoque etiam conclusio valet: Ergo renati praecepta Dei non perfecte obseruant. Confer.

1 Cor. III, 1.

## §. LXVIII.

Regenitos praecepta Dei sensu legali obseruare non posse, exinde 4) etiam probari potest, quoniam Christi obedientia, legi diuinae perfectissimo modo praestita, omnibus

G

renatis

## 50 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

renatis imputatur atque imputari debet, si coram Deo iustitiam nancisci velint. Quum autem omnibus renatis obedientia Christi actua imputetur, sequitur etiam, renatos legi diuinae neutiquam per se satisfacere posse, ita, ut per illam satisfactionem iustitiae coram Deo participes reddantur. Exinde igitur quoque res est certa atque explorata, neminem renatorum praecepta Dei obseruare posse quam perfectissime.

### §. LXIX.

Perspeximus hucusque, quo sensu renati praecepta Dei obseruare non possint, considerandum nunc venit, quo sensu renati possint praecepta Dei seruare? Renati praecepta Dei obseruare possunt *sensu euangelico*. Obseruatio vero praceptorum Dei euangelica in eo consistit, ut renatus & iustificatus praecipiti Dei secundum vires, quas in regeneratione & ex fide in Christum impetravit, quaeque in renouatione augentur, obedientiam praefest haud sicutam, Deo seruiat spiritu, in luce versetur, ut Deus in luce est, veterem hominem deponat, qui fallacibus perit cupiditatibus, mentis suae spiritu renouetur, nouum hominem induat, conditum diuinitus, cum iustitia veraque pietate, corroboretur per Dei Spiritum, animus eius inculpata sanctitate confirmetur in Dei conspectu, & ad scopum praefixum omni ardentissimoque studio contendat, ad palmam, ad quam superne vocatus est diuinitus per Christum Iesum. Phil III,14. Quamdiu ergo renatus in hac vita degit, incrementum bonorum ex Christo capit progressusque in dies facit in vera sanctimonia: attamen remanet in ipso peccatum, quod bona opera contaminat, studium proficiendi impedit, ad certamen ipsum prouocat, & maximopere impellit, ut in Christi iustitia ipsi imputata requiem & salutem suam omnem vincere  
quaerat

DE PERFECTIONE RENATORVM. 51

quaerat atque inueniat. Sequitur exinde, obseruationem Praeceptorum diuinorum in hac vita non omnibus numeris esse absolutam. Quoniam enim credentes eum gradum renovationis hic ascendere nequeunt, ut ab omnibus maculis essent liberati & immunes: ideo praecepsis diuinis perfectissimo modo satisfacere non valent. Quicunque enim praecepta Dei perfectissima implere velit ratione, ab eo omnia exulare debent peccata, etiam originale. Credentibus vero, quamdui adhuc vitam degunt, peccata adhaerent; licet peccata mortalia non perpetrent.

Haec obseruatio euangelica nuncupatur quoque perfectio partium ratione actionum spiritualium renatorum. Quam alias b. GERHARDVS ita definit: *Perfectio partium est sincera renatorum secundum totam legem obedientia, in hac vita inchoata, in aeterna tandem vita consummanda.* Siue est seruum ac sincerum studium, obediendi Deo secundum omnia eius praecpta, est aliquid debet respectu graduum. Dicitur autem haec obedientia, quae etiam verba b. GERHARDI sunt, perfecta: 1) ratione omnium mandatorum; siquidem omnibus & singulis Dei mandatis obedere student renati, quamvis obedientia sit inchoata, Ps. CXIX, 6; 2) ratione sinceritatis, qua vero & non simulato affectu, serio & non hypocritico studio, renati Deo obediunt & prauis motibus resistunt.

§. LXX.

Ad probandum adserendum nostrum accessum iam iam faciamus, quod nimirum regeniti praecpta diuina vere quidem obseruent, non vero perfectissime. Probamus autem hanc rem primo ex re ipsa. Renati vires spirituales nacti, praincipue fide in Christum instructi sunt. Fides vero non est neque esse potest vera & salutifica, nisi per amorem erga Deum & proximum sese exferat. Si vero renati Deum sincero animo amant, sequitur etiam, praecpta Dei a renatis

52 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

obseruari. Io. XIV, 21. Quum autem renati peccato adhuc sint maculati; obseruatio eorum est imperfecta; seu tantummodo eo sensu est perfecta, vti supra indicauimus, minimum imputatiue & inchoatiue.

§. LXXI.

*Deinde* hanc rem quoque probatam dant sacrae litterae. Et hic statim circa dictum nostrum, in prima sectione explicatum, subsistermus. Ioannes in eo dicit, natos ex Deo peccatum non facere, quid? quod peccare non posse. Quodsi vero nati ex Deo peccata non admittunt, nec admittere possunt, necessario sequitur, eos bonis studere operibus. Quicunque vero peccata detestatur, & e contrario bono operam dat, ille omnino pracepta Dei obseruat. Ideoque nati ex Deo pracepta Dei implent. Quoniam autem renati ab omni peccato nondum in regno gratiae sunt liberati; sed illis etiam adhuc peccata, tam originale, quam actualia, scilicet infirmitatis & ignorantiae, tribuere nos oportet, vti in praecedentibus demonstrauimus; exinde concludendum est, renatos quidem pracepta Dei inchoate, imperfecte & sensu euangelico obseruare, neutiquam vero consummata & sensu legali.

§. LXXII.

*Denique* hic adhuc exempla eorum, quibus Spiritus sanctus ipse testimonium obseruationis praceptorum Dei dedit, allegare placer. Ex vet. Testam. agmen ducet *Henoch*. Genes. V, 22. 24. coll. Ebr. XI, 5. Hunc sequitur *Noe*bus. Genes. VI, 9. coll. Ebr. XI, 7. Post eum locus est *Abrabamo*. Genes. XXVI, 5. coll. Ebr. XI, 8. 9. 10. 17-19. Huic adiungitur *Moses*. Num. XII, 7. coll. Ebr. XI, 23-28. *Iobi* exemplum quoque silentio non est praetereundum. Iob. I, 1. Praeprimis hoc etiam pertinet *Dauidis* exemplum. 1 Reg.

XIV,

XIV, 18. coll. cap. XV, 5. Neque minus *Hiskiae* mentio est iniicienda. 2 Reg. XVIII, 6. *Iosias* tandem agmen claudit. 2 Reg. XXIII, 25. Ex novo testamento potissimum notatum dignum est exemplum *Zachariae & Elisabethae*. Luc. I, 6. Item exemplum *Simeonis* atque *Hannae*. Luc. II, 25. seqq. Omnibus ipsis personis, tam ex vet. quam nou. testamento allatis, Spiritus sanctus testimonium hoc impertit, ipsos praecipitis Dei satisfecisse. At enim vero hos sanctos praecepsis diuinis consummatam arque omnibus numeris absolutam praestitisse obedientiam, contendere atque confirmare neutquam possumus; quoniam neminem a peccatis immunem indicare possumus? Multo magis de plurimis eorum in sacris litteris, se contra Deum peccasse, diserte legimus. Res itaque est extra omnem dubitationem posita, renatos, qua tales, vere obseruare, atque seruare posse praecpta diuina; sed tantummodo inchoate, imperfecte, & sensu euangelico.

Pertractauimus huc usque formam obseruationis praecceptorum *theetice*, nunc *antirhetice* de forma & modo obseruandi praecpta Dei paucula quaedam in medium proferre animus est. Sunt quidem multi, quibuscum ratione huius doctrinae dissentimus, at enim vero in praesenti potissimum nobis res cum Pontificis erit.

### §. LXIII.

In pertractanda *Pontificiorum* sententia, quam de obseruatione praecceptorum diuinorum fouent, ad duo momenta imprimis animus aduertendus erit. 1) Sententia ipsa Pontificiorum est adducenda. 2) Argumenta ipsorum, quibus sententiam suam confirmare atque stabilire autumant, perlustranda sunt arque consideranda. Ad primum quod attinet, in sententiam *Pontificiorum*, quam ratione obserua-

## 54 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

tionis praceptorum diuinorum habent, inquirendum erit. Nimirum Pontificii persuasum sibi habent, vere renatos bonis suis operibus perfectam obedientiam, quam lex requirit, in hac vita praestare posse. Nostra e contrario mens de hac doctrina sequens erat: Regeniti pracepta Dei quidem obseruare possunt, neutquam vero secundum rigorem legis, sed inchoate, imperfekte. Ideoque Pontificii in hac doctrina plenum a nobis diuortium faciunt.

Non solum affirmanit Pontificii, legis impletionem possibilem, sed adeo etiam contendunt, iusto hac in vita facilem esse, viri ex eorum scriptis prolixe evincere possemus, nisi breuitati nobis studendum esset. Iam vero pergamus, eorum argumenta expendere atque dissoluere.

### §. LXXIV.

In solvendis atque diluendis praecipuis Pontificiorum argumentis quum occupati simus, ad duo potissimum genera argumentorum respiciendum nobis erit. Primum genus dictis, ex sacris litteris petitis, absolvitur. Et deinde argumenta ex ratione, desumpta efficiunt secundum genus. Dicta vero, quibus pontificii sententiam suam stabilire existimant, in varias redigi possunt classes. Ad primam igitur quod attinet classem, ea eiusmodi dicta complectitur, in quibus testimonium perhibetur, pracepta Dei facilia esse. Quo doctores Romanenses duo referunt dicta.

### §. LXXV.

Primum horum inuenimus Matth. XI, 30, vbi Christus, iugum, inquit, meum suave & onus meum leue. Quo in loco aduersarii aliquid inuenisse putant, quo sententiam suam corroborare possent; sed frustra. Persuasum nempe sibi habent Pontificii, iugum, cuius Christus hoc in dicto mentionem facit, quodque leue & suave nuncupat, de lege mora-

morali esse intelligendum; ut ideo mens sit: lex moralis est iugum suave & onus leue, cui a renatis perfectissime satis fieri possit. Verum enim vero quum iugum hocce, de quo Christus hic loquitur, esset de lege moralis explicandum, tunc locus iste dicto A& XV, 10. contradiceret, vbi lex moralis dicitur iugum, quod nec Apostoli nec patres portare potuerunt. Nunc vero iure praesupponimus, in sacro codice nullas veras occurrere contradictiones. Ergo etiam hic contradictione locum inuenire nequit. Verba enim Christi plane de lege moralis explicari non possunt. Quid igitur Christi verba proprie sibi velint, a nobis iam inquirendum erit. Alii verba haec de doctrina Christi explicitant, alii contra de iugo crucis, quod christiano homini secundum voluntatem diuinam imponitur. Quae posterior explicatio simplicissima videatur. Nihil enim sacris litteris vestitius est, quam quod cruci & castigationi seueriori nomen *ingi* imponatur. Hanc explicationem ad hoc dictum potissimum quadrare, ex his patet. Christus in antecedentibus dixerat: venite ad me, & ego refocillabo vos. Ne igitur quis in cogitationes voluptatis carnalis incideret, Christus statim annexit: tollite iugum meum super vos. Quam explicationem optimus Seruator ipse nobis suppeditat, quando, qui vult, inquit, Matth. XVI, 24. me sequi, tollat crucem suam. Ut autem eo maiori patientia crux feramus, addit: Iugum meum suave est, & onus meum leue. Crux priorum ita nominatur: 1) ob comparationem ad infinitam illam molem irae Dei & damnationis, quam Christus a nobis in semetipsum deriuauit: 2) ob auxilium diuinum; Deus enim sua gratia & consolatione ita succurrit, ut non modo iugum illud crucis portare ac superare valeamus; sed patienter etiam feramus: 3) ob spem & retributionem aeter-

nam;

## 56 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

nam; etenim leue est crucis pondus, si ad sempiternam gloriae fruitionem conferatur. 2 Cor. IV, 17. Rom. VIII, 18. Quilibet igitur videbit, hoc dictum neuriquam Pontificiorum sententiae fauere.

### §. LXXVI.

Secundum ad hanc classem pertinentem locum legimus 1 Ioan. V, 3, vbi Apostolus dicit: *Mandata Dei grauia non sunt.* Ideoque Pontificii concludunt: Si mandata Dei grauia non sunt, a renatis omnino perfectissime obseruari possunt. At enim vero ad hoc probe hic attendendum est, quo nimur respectu mandata Dei grauia non sint. Grauia scilicet renatis non sunt mandata Dei 1) imputatiue, quia perfectissima obedientia, quam Christus nostri loco legi praestitit, renatis per fidem ad iustitiam imputatur. 2) Inchoatiue, quia enim Spiritus sanctus in fidelibus inhabitat, ab eoque quotidie magis magisque nouis instruuntur viribus, his ornat, voluntatem Dei exsequi valent ac liberenter efficiunt; licet tantummodo inchoate. 3) Ratione peccati non imputati. Renatis enim peccata venialia non ad damnationem, vt legis transgressoribus, impurantur; sed merito Christi teguntur. Triplici hoc respectu, mandata Dei grauia non esse, dici potest. Perspicimus nunc, mandata Dei in se non esse leuia; sed hoc certis quibusdam tantum respectibus valere. Et per consequens Pontificii hoc dictum in usum suum, vt alias putant, conuertere nequeunt.

### §. LXXVII.

Argumentum secundum BELLARMINVS ex illis desumit testimoniis, quae docent, mandata seruari ab his, qui diligunt Deum & proximum. Huc referuntur loca Ioan. XIV, 23. Rom. XIII, 8. Gal. V, 14. Ideo Pontificii concludunt: Qui Deum & proximum amat, ille perfecte legem implet.

implet. Nunc vero renati debent ac possunt diligere Deum & proximum: ergo perfecte legem implet. Ad hoc argumentum sequentem in modum respondendum erit. Maiorem propositionem in hoc arguento non simpliciter concedere possumus, nisi ira limitetur: Quicunque Deum & proximum secundum summam ac debitam legis perfectionem diligit, is perfecte legem implet. Etenim qualiscunque amor legis rigori non facit sati, sed ille tantum, qui proficiscitur ex toto corde, tota anima, omnibusque viribus, qui nulla laborat imperfectione neque prava aliqua concupiscentia. Vbi huiusmodi dilectio non reperitur, ibi perfecta legis impletio non efficietur. Praefupposita hac restrictione, ad minorem iam respondere possumus: Regeniti Deum & proximum quidem vere amant, sed non perfecte; quia amor illorum prava adhuc concupiscentia laborat. Ideoque conclusio nequaquam consistere potest, regenitos perfecte legem obseruare.

## §. LXXVIII.

*Tertia* denique argumentorum ex sacra scriptura pectorum classis complectitur exempla eorum, qui secundum Pontificiorum opinionem praeceptis diuinis consummatam praefliterunt obedientiam. 1) Exemplum *Dauidis* adducitur. Cui Deus ipse *2 Reg. XIV, 8.* hoc testimonium perhibet: „Non fuit, sicut seruus meus Dauid, qui custodiuuit manus meas, & securus est me in toto corde suo, sciens, quod placitum esset in conspectu meo.“ Hic locus sententiae aduersariorum fatigere videtur; sed tantum videtur, vere autem non fatur. Quod enim in isto dicto de consummata ac omnibus numeris absoluta praeceptorum Dei obseruatione sermo non sit, patet exinde, quoniam tunc Dauid ab

58 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

omnibus peccatis immunis fuisse deberet. Hoc vero non ita se habere, multiplices Dauidis lapsus docent. Praeterea David ipse in Psalmis peccata sua tam manifesta quam occulta fatetur, deplorat, eorumque remissionem rogat. Ps. XIX, 13. Ps. CIII, 2. Ps. CXLIII, 2. Ps. XXXII, 6. Ex quibus itaque manifestum est, Dauidem legi diuinae neutiquam perfecte satisfecisse. Ad phrasin illam quod attinet: custodiuuit mandata mea, & securus est me in toto corde, de obedientia Dauidis sincera sumenda illa est. David praeceptis diuinis obedientiam quidem veram ac sinceram praefixit, non vero perfectam, quam lex diuina requirit. 2) Exemplum regis Iosiae nobis obiicitur. 2 Reg. XXIII, 25: „Si milis non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum „omni corde suo, in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua.“ Circa hunc locum erit euincendum, quemnam habeat sensum haec locutio: reuerti ad Dominum omni corde, in tota anima & in vniuersa virtute sua. Ex sententia Pontificiorum idem innuit, ac legem implere perfectissimo modo. Exinde autem sequeretur, neque Dauidem legi satisfecisse, quod tamen iidem modo contenderunt; quia, ut ex contextu habetur, ante Iosiam non fuit rex similis, qui reuerteretur in toto corde, i. e. secundum Pontificiorum explicationem, qui legem perfecte impleret. Videmus itaque, sensum hunc non admittendum esse. Ideoque distinguendum est inter reuerti ad Deum omni corde, quod hoc loco habetur, & inter implere legem. Illa phrasis obedientiae inchoationem, qua legi perfecte non satisfit, complebitur; haec vero obedientiae continuationem seu perpetuitatem denotat. Denique etiam ad hoc allatum exemplum est respondendum: Si ad antecedentia respiciamus, intelligimus, laudem hanc Iosiam non impetrare propter obedientiam.

dientiam vniuersalem; sed particularem, non tam legem  
mōralem quam ceremonialem directe respicientem. Sen-  
sus itaque est: Iosias integro corde ad Deum reuersus ma-  
iori affectu, quam illus ante eum rex fecerat, idolatriam  
aboleuit, verumque Dei cultum integre vicissim renouauit.  
3) Exemplum Zachariae & Elisabethae ex nou. Testam, no-  
bis a Pontificiis opponitur, de quibus Luc. I, 6. sequentia le-  
gimus verba: *Erant ambo iusti coram Deo, incidentes in*  
*omnibus mandatis &c.* Ergo perfectam, vti putant Ponti-  
ficij, praestiterunt praeceptis diuinis obedientiam. Verum  
enim vero si Zacharias & Elisabetha praeceptis diuinis o-  
mnibus numeris absolutam praestitissent obedientiam, omne  
ab illis exulare oportuisset peccatum. Id vero neuriquam  
contendi potest, nisi ipsas sacras litteras mendacii accusare  
velimus. Deinde circa hoc exemplum est annotandum,  
quum Zacharias & Elisabetha *iusti* dicantur, id fieri non se-  
cundum legem; sed potius i) per imputationem; quia per-  
fecta iustitia, coram Deo consistens, non est in vlo alio ope-  
re, quam in sola obedientia Christi credentibus imputata:  
2) per inchoationem; nam ex iustitia fidei imputata, iusti-  
tia nouae obedientiae inchoatae nascitur, qua fideles omni-  
bus mandatis diuinis pro virili obsequium exsoluere, atque  
omnia peccata contra conscientiam vitare serio laborant,  
tametli in omnibus perfecte non versentur. Non solum au-  
tem iustorum nomine veniunt Zacharias & Elisabetha; sed  
adhuc etiam additur: incidentes in omnibus praeceptis Do-  
mini irreprehensibiles. Quae verba autem tantum signi-  
flicant, eos legi diuinae non frigide obedientiam praestitis-  
se; sed pro viribus ipsis benigne a Deo concessis vitam su-  
am ad praecepta Dei, licet cum quadam imperfectione, sin-  
cere tamen, conformasse.

60 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

Sunt quidem adhuc alia plura exempla, quae Pontificii ex sacris litteris petunt, nobisque ad corroborandam sententiam suam obtrudunt. Huc referuntur exempla Aliae, Iosuae, discipulorum Christi & Pauli. In praesenti autem in his tribus in ipso paragraphe adductis memoratu dignis subsistere placet. Iam vero & ea argumenta, quae aduersarii ex ratione deducunt, soluenda erunt.

§. LXXIX.

Ad argumenta aduersariorum *ex ratione* petita quod attinet, potissimum tria hic recensebimus. Primo Pontificii ita concludunt: Si lex Domini esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliores & stultiores, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo soluere posset, & leges ferret, quas sciret a nemine obseruandas. At enim vero negamus consequentiam. Verum est, praceptorum diuinorum obseruationem perfectissimam in hac vita esse impossibilem, quoniam hoc adfertum sacris litteris congruit: exinde autem non sequitur, Deum esse tyrannidis accusandum. Deus, Dominus noster, a nobis subiectis suis, quod suum est, postulat. Prima enim creatione vires sufficientes suppeditauerat, ad praeciptis suis perfectissimam praestandam obedientiam. Quodsi igitur homo in statu integratis permanisset, legem diuinam etiam perfectissimo modo impleuisse. Quoniam autem Dominum, Deum suum, reliquit, ideoque in eum peccauit, vires istas sufficientes implendi legem ex sua ipsius culpa amisit. Exinde quilibet igitur videt, homini ipsi esse trahendum, quod in statu suo praesenti, qui est miserrimus, legi diuinae secundum rigorem suum satisfacere non possit. Ideoque etiam pater, Deum neutiquam tyrannidis esse accusandum, qui, tamquam iustus legislator, postulet a nobis, quae impetruerat.

§. LXXX.

## §. LXXX.

*Secundum* argumentum ex ratione peritum ita se habet: Si impletio praceptorum Dei esset impossibilis, neminem ea obligarent, ideoque non essent praecpta. Ad hoc vero argumentum sequentem in modum respondendum erit. Primo, ex sacris paginis constat, legem diuinam obligare nos ad perfectum Dei amorem. Quum vero huiusmodi amor nobis in hac vita impossibilis; sequitur, praecpta Dei, licet eorum obseruatio impossibilis sit, homines tamen vere obligare. Canon etiam ille hic vallet: a praecpto ad posse non valet consequentia. Deinde quoque obseruandum est, praceptorum Dei impletionem, licet rectissime impossibilis nuncupetur, tamen absolute impossibilem neutquam esse. Quodsi enim absolute impossibilis esset, homines in statu innocentiae perfectissimo modo ea obseruare non potuissent, neque in futuro gloriae statu homines beati legi diuinae consummata atque omnibus numeris absoluta obedientia satisfacere possent. Praecpta tamen Dei certo respectu impossibilia obseruantur esse, de eo culpa non est Deo tribuenda; sed potius hominibus, qui per lapsum vires sufficientes a Deo ipsis concessas, praecpta Dei perfecte obseruandi, amiserunt; ideoque obedientia absolutissima perfectissima erga praecpta diuina illis evasit impossibilis. Quum autem ista impossibilitas nostra culpa orta sit, illa obligationem ad perfectam obedientiam non tollit. Deus enim merito, quod facere debemus, exposcit; adeoque iuste repetit, quod prius nobis concederat.

## §. LXXXI.

*Tertium* denique argumentum, quod adhuc recensere

## 62 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA

sere & soluere placer, sequens est: Quicunque habent fructus Spiritus sancti, illi perfectam legi diuinæ praestant obedientiam: Omnes iustificati & Spiritu sancto donati, fructus Spiritus habent: Ergo perfecte legem implet. At maiori propositioni nulla plane inest veritas. Etenim contradicit non solum sacris litteris; sed etiam quotidianaæ experientiae. Multorum sanctorum mentionem faciunt sacrae paginae, qui certissime habuerunt fructus Spiritus sancti; sed de nemine eorum legitur, se impleuisse perfectissime praecepta Dei. Multo magis sancti illi homines contrarium ipsi fatentur. Et quod experientiam concernit, quaero ex aliquo, et si sanctissimus esset, utrum nullius plane peccati a se commissi recordari posset? Nisi contra veritatem loqui velit, confiteri cogetur, se in multis rebus contra Deum legemque illius peccata admisisse & adhuc admirtere. Si vero hoc ita se habet, sequitur, neminem renatorum posse legi consummatam praestare obedientiam. Euangelicam praeceptorum Dei concedimus, quid? quod de sanctis hominibus contendimus, verum & sincerum praecepta Dei obseruandi initium eos in regno gratiae facere.

Alias etiam Pontificii ad locum 1 Ioan. III, 9 prouocant, vbi Ioannes dicit, renatos peccatum non facere, nec peccare posse. Ideo putant, renatos, quum peccare non possint, praecepta Dei perfectissime obseruare. Sed quomodo haec verba sint accipienda & intelligenda, in prima sectione fuis explanauimus, ad quam lectorem remittimus. Iam vero accessum faciamus ad quartum idque ultimum huius per trattationis, de obseruatione praeceptorum Dei, momentum, quod de necessitate obseruandi praecepta Dei agit. Breuitati vero hic studebimus.

§. LXXXII.

## §. LXXXII.

IV. *Necessitatis obseruandi praecepta Dei si hic mentionem iniicere animus est: antea proprius erit determinandum, quaenam praecepta Dei necessario obseruanda sint a renatis.* Enim in superioribus diximus, praecepta duplicit generis esse, videlicet praeceptum euangelicum & praecepta legalia. Ideoque quaeritur, utrum fides salutifica etiam hoc referenda sit? Respondemus autem negatione, & quidem ex sequentibus rationibus: quoniam fides iam iam presupponitur, antequam renatus obseruare potest praecepta Dei, lexque moralis, quae praecepta nobis praescribitur, & Christum & fidem in Christum dare non potest. Si igitur renatus praecepta Dei obseruare dicitur, fidem iam in eo esse, cogitare debemus: sive lex nec Christum, nec fidem salvificam exhibet, nec eam a nobis exigere potest. Fides igitur tamquam praeceptum euangelicum hic excluditur. Ideoque tantummodo de praeceptis propriis sic dictis hanc obseruationis necessitatem intelligimus.

## §. LXXXIII.

*Necessitatem obseruandi praecepta Dei primo ex eo probamus, quoniam Deus obseruationem praeceptorum suorum serio & quam saepissime in sacris litteris demandauit. Deut. X, 12, 13. cap. XI, 1. Eccles. XII, 13. Matth. XIX, 17. Ioan. XIV, 15.* Quodsi vero Deus tam serio obseruationem praeceptorum suorum demandat, sequitur, eam quam maxime esse necessariam. Deinde istam probamus necessitatem exinde, quoniam Deus multis maximisque nos exornauit atque exornat beneficiis; quare obligati tendemur, ut amore Deum vicissim prosequamur. Deum vero

non

64 DISPUTAT. EXEGETICO-THEOLOGICA.


non magis amare possumus, quam si praceptoris illius obedientiam veram ac sinceram praebeamus.

§. LXXXIV.

Ex eo etiam appetit haec praceptorum Dei observationis necessitas, quoniam renati seruandis praceptoris diuinis notis & characteres fidei suae in Deum edunt. Fides enim cognosci non potest, nisi per opera, & fides esse nequit saluifica, nisi opera bona sint cum ea coniuncta. Quam necessarium igitur fides renato est, tam necessarium ipsis quoque est studium bonorum operum. Regenitus autem bona opera exercet, vbi pracepta Dei obseruat.

§. LXXXV.

Plura sane de hac doctrina, videlicet perfectione reformatorum, in medium produci potuissent; sed hic pedem figo, quoniam totum volumen conscribere animus non fuit; sed tantummodo dissertationem quandam. Tu vero, Lector Benigne, eo, quaequo, animo, quo a nobis scripta sunt, veritatis scilicet cupidio ac sincero, haec nostra lege & iudica.



RESPON-

RESPONDENTI AESTVMATISSIMO,  
AVCTORI DISSERTATIONIS DOCTISSIMO,

S. D. F.

P R A E S E S.

**Q**uum e re TVA TIBI sit visum, dissertationem theologicam conscribere, eamque me moderatore publice defendere atque propugnare; & argumenti optionem, & rationem illud explicandi TIBI lubens concessi, ut ipse iudicares, quamnam doctrinam prae reliquis ad disputandum proponeres, in qua pertractanda ingenii TVI vires ex TWO arbitrio optime periclitari posses. Nec poenitet me consilii mei. Namque & materia, de qua agis, ardua est, multumque adfert usum eiusdem cognitio solida atque adcurata, & modus, quem in ipso tractatu addibuisti, egregie mibi placet, quum totam rem, quae maximi momenti est, & quae alias magnam verborum discordiam peperit, non solum exegetice, sed & dogmatically iusto ordine interpretaris, ea que perspicue exponis, quae Theologi orthodoxi de perfectione renatorum omni tempore tradiderunt. Quam obcaussam cum ingenti voluptate animi totam perlegi dissertationem, quae & mibi & omnibus, qui TIBI fauent, teque amant, optimam praebet occasionem, & dotes ingenii TVI, a summo Numinе largiter concessas, & profectus in studiis TVIS haud vulgares ex animo sincero TIBI gratulandi. Hac ratione iam nunc intelligis, suis rebus & commodis eos

I

optime

optime seruire, qui omnem industriam in studiis figunt & collocant. De te enim omni adseveratione adfirmare nullus dubito, quod paucissimi commilitonum Tvorvm diligentia tecum exaequari possint, nemo autem adsiduitate facile te sit superaturus. In lectionibus meis exegeticis, homileticis, theologiae moralis & pastoralis, atque iurisprudentiae diuinae attentum & constantem te vidi auditorem, quin etiam in te liberalern gratificandi animum, qui nostro tempore rariissimus esse solet, deprebendi. Idem de te fatentur collegae mei summe reuerendi atque excellentissimi, a quibus praceptoris & theologicis & philologicis & philosophicis omni cura imbutus es atque instructus. Ad maximum namque commodum TVVM scholis hebraicis D. MICHAELIS; dogmaticis, polemicis, symbolicis atque exegeticis D. BAVMGARTENII; philologicis atque exegeticis D. CALLENBERGIR; dogmaticis, hermeneuticis, exegeticis, atque historiae ecclesiasticae veteris & noui testamenti D. KNAPPII; dogmaticis quoque, hebraicis atque exegeticis PROF. FREYLINGHVSII; philosophicis denique PROF. WEBERI, sedulus interfueristi. Hasce auditiones feliciter TIBI & nunc euenire & in posterum euenturas esse, cum maxima animi confidentia teſtor atque diuino, Deumque ardentissimis imploro precibus, ut semper TIBI adſit fauore suo paterno, omniaque TVA conamina dirigat in nominis sui gloriam, multorum hominum salutem, TVVMque commodum verum ac sempiternum. Vale, & vt facis, me ama. Dabam Ha-  
lœ, in Academia Fridericiana Regia, d. VI Iunii,  
**MDCCLIV.**

Σοι, Φίλε, συγχαίρω της πολλής εἰνεκα τιμῆς,  
 ἡς ἐν συζητεῖν σήμερον αἱνέλαβες.  
 Ἐν πολέμῳ πρότερος διδακτῶν Σὺ ἐγενήσα,  
 ἐσηκας· αὕτη γέντο τειν μεγάλα.  
 Σειο ἐπιτίμην κρατερές· εἰνικήσετο ἔχθρες,  
 πρὸς Σαμαχισταμένες. Σοὶ γε ἐπῆλθε νίκη.  
 Φεῦ, τί λέγω; ὅντως διὰ τότε ἐγκώμια λῆφας,  
 οὐκέ τίνι Σε σωθόν πάντες ἐπαινόμεθα.  
 Τέττουν ἐγὼ νῦν κατανοῶν κεχάρηκα μελίσσα,  
 Φίλος αἱρεὶ ἐγένευ, πάντοτε Φίλος ἔστι.  
 Φίλος τὸν Φίλον Φίλει, μηπώποτε ἀντεῖ  
 εὐτυχίαν ζητοῖ, μὴ ἀθετεῖ αὐτόν.  
 Εστι ἐμοὶ Τύνη, καργά Σοι, εἴμι τοῖτος,  
 χάρεσα ἐγὼ καὶ Στασφορδία πολλὰ χαρεῖ.  
 Συγγενέες καὶ Σε ἔχαρέν, Σε τοιότον ἔχοντες,  
 ὃς αὐτῶν μεγάλη δόξα καὶ ἔσι κλέος.  
 Συγχαίρω, ἡμέτερ τάντες συγχαίρομεν ὁμα,  
 ἐσηκας· Ζῆσον, Φίλε Κρετίσε, καλῶς.

Hisce paucis tibi  
 Amice longe suauissime,  
 ex paucis lectissime,  
 Praenobilissime Respondens,  
 ex animo gratulatur sincero.

SIMON PETRVS AKERMANN,  
 Müllerdorffia Mansfeldicus,  
 Opponens.

PRAENOBILISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,  
AVCTORI DISSERTATIONIS DOCTISSIMO,

SAL. DIC. PLVR.

CONRADVS CHRISTOPHORVS EBER.  
HARDVS ECKERS,

GROEZIGA-ANHALTINVS, S. S. TH. STVD.  
OPPONENTS.

*Quo arcarius atque firmius, amice exoptatissime, amicitiae, quod nos coniungit, est vinculum: eo minus patiar, occasionem nactus commodissimam, meum in te amorem palam significandi, ut illi hodie quid desit. Quum mea opera semper in eo fuerit collocata, ut, missis omnibus perniciiosis, amicum tandem inuenirem, quicunq; viam, qua ad veram licet ire felicitatem, ingredi possem; talem iam inde a scholis inferioribus, qualem maximopere exoptauis, te expertus sum; hinc quid, amicitia tua & in superioribus continuata, dulcius mibi quidem sit, omnino nescio. Ex quo tecum in consuetudine esse mibi contigit, exemplo tuo sane egregio immensus diligentiae calcar, idque dulcissimum, mibi addi visum est. Tuam proinde dissertationem, quam doctissime conscriptam in lucem emittis, nonnisi foetum diligentiae tuae omni tempore adabilitate possum considerare praestantissimum. Eum amicum publice iam fatigarem? Voluisti ita. Regula, volenti nullam sieri iniuriam, quum, extra*

extra omnem dubitationem dudum posita, mibi innotescat,  
 officium contradicentis subeo lubentissime, non dubitans, fo-  
 re, ut amicitia nostra haud parua inde capiat incrementa.  
 Pauca de ipso TVAE eruditio specimine adducturus, tan-  
 tum abest, ut mea te laude egere aut admodum ornari pos-  
 se credam, ut potius sine ea te fore satis superque commen-  
 dabilem probe perspiciam. Spem de te conceptam in eo  
 non impleui solus, sed longe etiam superasti. De tempo-  
 ris, a Deo benignissimo TIBI concessi, collocatione, sapienter  
 facta, luculentissime testatur: quinimo, quanta doctrina-  
 rum caelestium atque philologiae sacrae sis exornatus cogni-  
 tione. Habeone ergo, quod TIBI gratuler? Essem omnino  
 in te iniurias, si hunc diem, quo te victorem, ab omnibus  
 aduersariis, feliciter depulsi, honorificam illam victoriae  
 herbam accipientem paeuideo, sine gratulatione publica in-  
 termitterent atque praeterlabi paterer. Age, AMICE OPTI-  
 ME, adspiremus ad renatorum, quam pertraestisti, perfe-  
 ctionem, quanta unquam per limites, a Deo nobis sapientis-  
 sime constitutos, in hac vita potest acquiri, ut olim etiam  
 digni habeamur, qui, ab omni peccatorum macula purgati,  
 laudemus & concelebremus DEVM in gloria. Perge, ut  
 strenuus sapientiae miles, TVAS exercere vires, sicque, de  
 quo nullus dubito, arcem eruditiois, bucusque oppugnatam,  
 olim expugnabis felicissime. DEVS eum in finem gratia  
 sua TVIS adsit conaminibus, ut, quorsum omnia hominum  
 molimina atque studia de iure dirigi deberent, cedant in no-  
 minis sui gloriam atque aliorum utilitatem. Vale, neque  
 amare nunquam desine. Dedi Halae, die XXVIII Maii,  
 el 1574.

**H**ie glänzt in jener Annus-Höh  
Dort wo die ganz Vollkommen wohnen:  
Wer ist? sieh da Eusebie,  
Sie träget ihre Sieges-Cronen.  
Sie funkelt zwar im Sternen-Plan;  
Doch neigt sie sich jetzt zu der Erden,  
Auf! Musen stimmt beherzt mit an,  
Wie sollte Herz und Sinn jetzt nicht begeistert werden?

Erwache träges Saiten-Spiel,  
Hier glänzt ein Bild mehr als Rubinien.  
Auf, auf! der Schönheit ist zuviel:  
Ihm müssen Gott und Menschen dienen.  
Die Weisheit ist, ihr Lorbeer-Cranz  
Will ihren Ehrer siegreich zieren,  
Sie kommt und will den hellen Glanz  
Ihm als ein Ehren-Psand jetzt öffentlich zufüren.

Geerter Freund, wie? darf ich wol  
(Ich zweifle) wünschend zu Dir kommen?  
Die Liebe weihet ihren Zoll;  
Vielleicht wird sie auch angenommen.  
Du schreibst, was Du schon längst geübt;  
Ich wünsche mir es zu erfahren.  
Wol dem, der das Vollkomme liebt,  
Und wird ein kluger Mann noch in den Kinder-Zaren!

Ein reiner Stral von Gottes Thron  
Durchheitre Deine theure Seele,  
Genieße Deiner Arbeit Lohn,  
Schon hier in dieser Leibes-Höhle.

Und

Und wenn Dich einst nach langer Zeit  
Dein JESUS wird von hinnen führen:  
So soll Dich jene Ewigkeit  
Mit einer Salems-Pracht, o Freund, vollkommen zieren.

Dieses wenige wolte aus aufrichtigem  
Herzen befügen  
ein unbenandter und doch bekandter Freund.

---

Sie ruhet der, der nur die Tugend liebet,  
Der ihrem Trieb und innern Zuge folget,  
Der sucht mit Ernst der Weisheit edle Schäze,  
Und findet sie auch.

Er heischt sich nie ein tadelwürdiges Lob,  
Das nur allein den niedern Seelen eigen.  
Nein! weit entfernt von leerer Schmeicheley  
Verlacht er den Ruhm.

Er denkt vielmehr der Künste weites Feld.  
Erstaunt er hier? O! welche süsse Freude  
Ergötzt sein Herz; und mit vergnügter Lust  
Elernt er sie gern.

Auch Du, o Freund, zeigst schon so reife Früchte  
Von Deinem Fleiß und angewandter Mühe.  
Auch dieser Tag krönt Dich mit neuem Segen  
Und mehret Dein Glück.

So

So wucherst Du mit dem verluchten Pfunde,  
Und scheust nicht der Arbeit süße Lasten,  
Die oft der Thor aus Faulheit nur verwirret,  
    Nein Du erwählst sie.


Es glänzt in Dir der Eugend wahres Bild.  
Die Frömmigkeit zierte Deinen stillen Wandel,  
So lange schon hast Du im steten Umgang  
    Mich redlich geliebt.

Mehr sag ich nicht. Des Himmels milde Kunst  
Läßt stets Dein Wohl auf künftige Seiten grünen,  
Und mehr in Dir des Geistes schöne Gaben,  
    Die Du ihm geweihst.

Ch. E. Biese,  
b. h. G. G. B. aus dem Manuskriptischen.



4.



01 A 6566

56.

ML.54.







B.I.G.  
Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

DISPVITATIO EXEGETICO-THEOLOGICA  
DE  
**PERFECTIONE  
RENATORVM:**

QVAM  
**SVB PRAESIDIO**  
VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI,  
DOCTISSIMI,  
**DN. ADAMI STRVENSEE,**  
S.S. THEOL. PROFESSORIS PVBLICI,  
PASTORIS AD AEDEM B. VLRICI LONGE MERITISSIMI,  
NEC NON GYMNASII HALENSIS SCHOLARCHAE  
GRAVISSIMI,  
PATRONI, FAVTORIS ATQVE PRAECEPTORIS  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI,

D. IVNII CICCLIV.

H. L. Q. C.

PVBLICE TVEBITVR  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES ANDREAS HECHT,**  
STASSFVRTHENSIS MAGDEBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
PRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.